Eximio Viro, D. Georgio Crumpe, Amico suo.

MONVMENTA LITTERARIA

SIVE,

OBITUS ET ELOGIA DOCTORUM VIRORUM.

Ex Historiis Illustris Viri Iac. Aug. Thuani.

OPERA C. B.



LONDINI,

Excudebat Io. Norton sumptibus Ios. Kirton, & Tho. Warren, in Cœmeterio S. Pauli ad insigne Equi Albi.

M. DC. XL.



VENERANDAE

MATRI ECCLESIAE HEREFORDENSI.

Tibi, Mater veneranda, Monumenta hæc Litteraria, ex amplissimo illustris Thuani Opere operâ meâ collecta, lubens meritò dico consecroque. Tu Monumenta Majorum, à multis retrò seculis, piè conservas. Tu viva etiam utriusque virtutis ostentas Exemplaria, & cùm secula non annos numeres, est tamen tua (quod dici solet) aquilæ senectus: ut vetera omittam; nunc temporis Reverendissimum Episcopum in Cathedrâ; Decanum & Præbendarios in Capitulo, doctrinâ & pietate præstantissimos; sacræ Musicæ peritissimos in Choro; bonarum litterarum in Scholâ studiosos habes.

His accedunt Bibliothecæ duæ, bene instructæ: ex quibus Operarii tui in communem usum mel colligant. Quorum omnium honorificam hîc à me mentionem fieri; & aureola hæc magni Operis ἀποσπασμάτια humillimè oblata, exporrectis (oro) Tuorum frontibus & manibus accipi, alma Mater, non dedignare. Ita Deus Te Tuosque amare pergat.

C. B.



Ad Auctorem.

THuane, Galliæ lux & Togæ decus:
Nec Galliæ solùm lux, lux & totius
Orbis; Togæ decus nec solùm vel Fori,
Sed & scholarũ: libros quotquot discim⁹,
Quotquot docemus, singuli grates Tibi
Meritò lubenter ferimus, & laudes Tibi.
Tot eruditi, qui Tibi vitam debent,
Tibi, dum vivunt litteræ, vitam dabunt.



Amico Lectori.

Q*Vum hæc Collectanea perlegeris, bonas horas tuas, ut spero, non malè collocatas dices. Nonnihil sanè conferent hæc ad magnum Opus, quod profundi vir judicii* D. Baconus *in Augmentis Scientiarum desideravit,* Historiam Litterarum. *Tu quæso, fac quod in te est, ne Bibliopolas Litteratorum Memoriæ studiosos pœniteat sui sumptûs, cui, ut ex Typorum pulchritudine vides, non pepercerunt. Elogium ipsius* Thuani *ex optimo doctissimoque viro* Is. Casaubono *apponendum censui; neque enim decuit eum sine præconio præteriri, qui tam multa & tam bene de aliis dixit. Denique, quo magis inoffenso pede librum percurras, Emendationes Erratorum præcipuas notavi, quas suis locis referre ne graveris. Cætera leviora esse speramus, quàm ut de iis candidi Lectorem ingenii moneri opus sit. Vale, quisquis es Amice, & brevi* Principum Obitus & Elogia σὺν Θεῷ expecta.

Emendationes.

PAg. 5 l. 4. Salignacus. 11, 23. VIIIb. ineunte. 14 8. Sophonisba. 21. 9. Gaspar. 31, 13. Dubravius. 32, 20. amplissimas. 37 7. injiciunt. 53. 6. Julioduno. 53, 10. consecravi. 61, 19. annis. 68, 15, 20. Argyropylo. 78, 13. Reuchlini. 90, 12. Sansovinus. 90, 20. Cæsaroduno. 96. 17. Basileæ. 99, 3. Hierosolymam. 99, 6. ventis. 106, 6. Adversaria. 108, 11. illius. 112, 24. incredibilem. 136, 5. studia. 136. 13. præstans, B-136, 14. Menilius. 146, 6. Possiacum. 146, 23. scissurâ. 160, 12. mandatu. 174, 10. Clivensem. 192, 4. & Pii. 198, 1. Petrum. 335, 12. nomen.

MONUMENTA LITERARIA,

SIVE,

Obitus & Elogia doctorum virorum, ex Historiis illustris viri Jac. Aug. Thuani.

CIↃ IↃXXXI.

TIgurini vincuntur; ipse *Zuinglius* in primis ordinibus fortiter pugnans occubuit. Religioni tributum à Tigurinis, & qui cum illis stabant, quòd cadavere flammis ab hostibus tradito, cor exuri non potuerit; cùm tamen

conſtet in quibuſdam corporis humani partem eſſe quandam, in quam nihil ignis poſſit: ſicut de majore dextri pedis articulo Pyrrhi Epirotarum regis memoriæ proditum eſt, qui corpore rogo de more abſumpto, unà cremari non potuit. Adeò turbatis odio aut amore animis, ut fit in religionis diſſenſionibus, pro ſe quiſque omnia ſuperſtitioſè interpretatur.

CIↃ IↃ XLVI.

MArtinus Lutherus turbarum contra Pontificiam auctoritatem conciliatarum auctor annos natus LXIII. Iſlebii in patria, quod eſt Mansfeldicæ ditionis oppidum, moritur XII Kal. Mart. illuc Vitembergâ, ubi docebat, à Mansfeldiis comitibus vocatus, & arbiter electus, ut diſſidium, quod inter ipſos de finibus & hæreditate erat, componeret. Poſt cœnam proximè ante noctem

noctem quâ decessit, cùm rogaretur num in illâ sempiternâ vitâ simus alter alterum agnituri, ita esse ajebat, & scripturæ testimoniis confirmabat. Ut certatim eum vivum multi complexi, sic nec morte quidem ab ejus amore divelli potuerunt. Mansfeldii siquidem cadaver, quòd hinc originem duceret, in suis finibus sepeliri debere contendebant: sed vicit Ioannis Friderici auctoritas, qui ut Vitembergam referretur, atque ibi terræ honorificè mandaretur, obtinuit. Morienti adstitit Iustus Ionas Nortusa veteri Cheruscorum oppido natus, olim Ioannis Friderici Saxonis *VII* Viri liberorum educationi admotus, eorúmque fortunæ calamitosissimis temporibus perpetuus comes, & Lutheri ipsius ad extremum constans minister, qui decimo post anno atq; adeo climacterico suo Eisfeldiæ, ubi docebat, fatis concessit.

CIↃ IↃ XLVII.

HIc annus non ſolùm duorum maximorum Principum, & qui ſummi literarum fuerunt fautores, ſed & doctiſſimorum virorum obitu triſtis fuit. Nam *Franciſcus Vatablus* in Ambianis natus, quem Hebræi ipſi Lutetiæ Hebraicas literas profitentem admirati ſunt, Chriſtiani verò maximo cum fructu docentem audiverunt, ex hâc vitâ migravit XVII Kal. April. Is Græcæ linguæ peritiſſimus multa ex Ariſtotele in Latinam tranſtulit: dein relicto philoſophiæ ſtudio ad ſacras literas ſe totum applicuit: multáque hujus generis ſub ejus nomine circumferuntur, ac notationes inprimis in vetus Teſtamentum ab auditoribus ex illius prælegentis ore exceptæ: nam ipſe ſive naturali pigritiâ, quod illi exprobratum eſt, ſive morte præventus, nihil omnino ſcripſit; Satiſque habuit ſacræ

linguæ

linguæ arcana diſcipulis diligentioribus aperire, illuſtri nominis ſui famâ & alieno præconio contentus: ex iis fuere, Io. Salignaeus nobilis Petrocorius, & Ioan. Mercerus Uticenſis Chriſtianorum in Hebraicis longè doctiſsimus, qui ad maximas chariſsimi prçceptoris laudes hanc adjecit, quòd Hebraicorum carminum rationem, quæ hactenus nobis incognita eſt, perſpectam ille habuerit, quam & ſe ſcriptis aliquando traditurum receperat. Eodem die quo Vatablus & *Iacobus Tuſanus* Remus optimus linguæ Grçcæ Doctor Lutetię deceſsit, cum eodem quo Vatablus die in regiorum profeſſorum collegium cooptatus fuiſſet, ut qui in eodem vitæ curriculo ſimul deſudaſſent, ne mortis quidem tempore divellerentur. Nec multo poſt XIII Kal. Iun. *Beatus Renanus* Seleſtadienſis annum agens LXII Argentinæ, cum è balneis rediret, moritur; vir in humanioribus litteris, antiquitate & piâ doctrinâ exercitatiſsimus, ingenio miti, ut qui in cogitatione de con-
 ſtituenda

ſtituendâ ex omnium conſenſu in religione concordiâ conſenuerit, ſummus Deſ. Eraſmi obſervator, qui eandem viam in his turbis inſtitit. Hujus etiam anni initio XVII Kal. Febr. matura mors *Ioannem Schonerum* Caroloſtadienſem, jam ſeptuagenarium Norimbergæ nobis eripuit, ubi ille domicilium fixerat, Aſtronomiæ, quam poſt Regiomontanum opere illo egregio reſolutarum Tabularum maximè illuſtravit, ſcientiâ inſignem, & illâ inprimis, quæ ex poſitu aſtrorum de cujuſque fortunis judicium fert, multis obſervationibus ab illo locupletatâ. Exeunte anno in vivis eſſe deſiit Auguſtę Vindelicorum *Conradus Peutingerus* qui pridem vivere deſierat annis attritus, quippe completo LXXXII ætatis anno, vir ut natalibus ſic dignitate clarus, & cujus memoriam tabula Peutingeriana poſtea a M. Velſero edita apud doctos renovavit. Romæ ſub id obierunt *Petrus Bembus* patricius Venetus, & *Iacobus Sadoletus* Mutinenſis Carpentoracti

Epiſco-

Episcopus, uterque versu & pedestri oratione politissimus scriptor : verùm illius multa licentiosiùs, ut temporum nequitia, & Domini, cui serviebat, mores ferebant, scripta extant; hujus contrà seria ferè omnia, & digna personâ quam sustinebat. Vtriusque in dispari morum instituto, fortuna tamen par fuit. Nam & ambo simul à Leone X, ut primum summum sacerdotium inivit, ex omni doctorum numero delecti, quorum in conscribendis epistolis operâ & ingenio uteretur : dein & in Collegium Cardinalium eodem anno à Paulo III allecti sunt; sub quo & fatis concessere; Bembus ex vulnere in latere ad parietem accepto, dum equo veheretur, anno ætatis LXXVII; Sadoletus sub autumni tempus, Bembo circiter septennio minor; atque illi quidem Hier. Quirinus Ismerii F. qui omni officio vivum coluerat, statuâ nobili artificio ex marmore factâ, inque celeberrima S. Antonii æde Patavii locatâ, parentavit; hunc Io. Petrus Carafa Sabinorum

rum Episcopus, quo die primùm post ejus obitum senatus habitus est, coram Pontifice, & mox Iac. Gallus civis Romanus in Laurentii æde luculentâ oratione laudavere: sepultus est sine ulla funeris pompa, ita enim testamento prescripserat, in æde B. Petro in exquiliis sacrâ.

CIↃ IↃ XLVIII.

HOc anno debitum naturæ persolvit *Gregorius Cortesius*, à Paulo III in Collegium Cardinalium cooptatus, olim in S. Benedicti Casinensi cænobio professus, & postea ipsius cænobii præsul; quà ex eadem officina eodem tempore prodierunt Isidorus Clarius, & Io. Baptista Folengius: is antiquâ & nobili familiâ Mutinæ natus, sed moribus ac erudito ingenio longè nobilior fuit, cujus tamen paucula ad nos monumenta pervenerunt, ab Hersilia Cortesia fratris F. diu postea publicata; obiit Romæ XI Kal.

Kal. VIIII. Sept. in basilica XII Apostolorum perhonorificè sepultus. Ex eadem urbe Mutinâ natus *Marius Molza* eodem anno in vivis esse desiit, versibus Latinâ & vernaculâ linguâ scriptis apud suos cum primis clarus.

CIↃ IↃ XLIX.

ODosii Bigerronum decessit *Margarita* Francisci soror, Henrici Labretani Navarræ regis conjux, fœmina omnibus ingenii & animi dotibus exculta: quæ tamen apud Ecclesiasticos malè audiebat, quòd fratris in Lutheranos malè animati iras pro viribus temperaret, & apud ipsam tutus esset illis receptus. Certè Iacobum Fabrum Stapulensem à Theologis Parisiensibus post Gul. Bricconeti Episcopi Meldensis obitum, exagitatum apud se retinuit, & Girardum Rufum, qui Cleriacense opimum admodum in Aginnatibus cœnobium à Francisco in ejus

gratiam obtinuerat, sæpius apud fratrem, quòd Lutheri doctrinæ sectator esset, accusatum, fremente licet Sorbonicorum Collegio, constanter tutata est, & post omnia Oleronensi Episcopatu in Benearnensi provincia donavit. Ejus nomine & fabellarum volumen imitatione Io. Bocatii editum circumfertur; si tempora & juvenilem ætatem, in qua scriptum est, respicias, non prorsus damnandum, certè gravitate tantæ Heroinæ, & extremâ vitâ minùs dignum. Decima Musa & quarta Charis à studiosis omnibus, aut una IX Musarum, & trium Charitum instar appellari meruit, versibusque passim editis, & nũmis percussis, his Elogiis ornata est: præcipuè vero à III sororibus Anglis, Anna, Margarita & Iana Semeriis: non minùs ob splendorem generis, quàm ingenii elegantiam, & eximiam eruditionem cum rara morum probitate conjunctam æternâ commendatione dignis celebrata est; edito hecatondisticho, quod Ioan. Auratus, Ioachimus Bellaius, Ioan. Antonius

nius Basius, Nic. Denisotus, præclara Galliæ nostræ ingenia, vario carminum genere postea expresserunt. Mortuam funebri oratione laudavit Carolus Sammarthanus. Eodem anno in Norico in vivis esse desiit *Iacobus Zieglerus* Lindavus, vir exquisitæ doctrinæ, qui diu Viennæ Austriacæ docuit, & Turcicorum armorum terrore sparso, apud Volfangum Episcopum Pataviensem ex illustri comitum Salmensium familia receptum habuit, quo in otio multa commentatus est; ex quibus quædam in selectos S. Scripturæ locos cum contrariis Candidi Ariani & Marii Victorini rhetoris de divina generatione epistolis Io. Iacobi Fuggeri studio publicata sunt.

CIↃ IↃ L.

IO. *Vasæus* Belga, quippe Brugis in Flandria natus, hoc anno obiit, VIII Sept. ineunte Salmanticæ jam adfecta ætate, ad

Mathurinorum ſeu veræ Crucis ædem ſepultus, qui diu in Hiſpania moratus, res etiam Hiſpanorum continuâ ac luculenta hiſtoriâ complexus eſt. Sub id & *Ioan. Pierius Valerianus* Bolzanus Beluno in Venetis oppido natus, Patavii annum LXXXII ſupergreſſus deceſsit, ad S. Antonii conditus, quò vergente ſenio conceſſerat, ut poſt longam veluti peregrinationem in nidulo ſuo, ex quo puer evolaverat, ad quietem æternam ſe componeret. Is Urbani patrui Franciſcani, qui Leonis X præceptor fuit, curâ in litteris educatus inter doctiſsimos ſeculi ſui meruit recenſeri, & Mediceæ familiæ, cujus favori ac munificentiæ ſua incrementa litteræ in Italia debent, addictus, diu in Aula Romana ſtudiis invigilavit, & magna negotia tractavit. Ejus inter alia Virgilianæ lectiones, & Hieroglyphica maximè commendantur, quæ virum alioqui Poëticâ præſtantem, in omni politioris litteraturę, antiquitatis & ſcientiarum genere totâ vitâ verſatum oſtendunt. Obiit

&

& hoc anno *I. Georgius Trißinus* peranti-quâ nobilique Vicetiæ familiâ ad virtutem & litteras natus, linguarum peritissimus, & in omni scientiarum genere exercitatissimus: quæ omnia ad decus & illustrationem suæ Italiæ, atque adeo linguæ vulgaris contulit, quam non intra angustos Etruriæ, atque adeo unius Florentiæ limites coerceri passus est, sed universæ Italiæ eam gloriam communem esse voluit. Qua in re Florentinos & famosam in ea civitate Academiam adversariam habuit, magnamque sibi apud eos invidiam conflavit. Primus genus carminis soluti fœliciter usurpavit, cum à temporibus Fr. Petrarchæ Itali rythmis uterentur, & poësim ad Aristotelicam normam exegit, luculento de ea ad interpretationem tam à multis triti quàm à paucis intellecti operis scripto edito. Multa scripsit, & in primis Italiam Liberatam, novo etiam litterarum genere à se inventarum usus, non pari fœlicitate, paucos quippe nactus sectatores, cum in versibus solutis plures eosque viros

 maximos

maximos habuerit; & in iis Ludovicum Alamanium, & Torquatum Tassum, qui Hierosolymam suam eo carminis genere scriptam maluisse satis testatus est, cum ultimum opus, quod Divinam Hebdomada indigitavit, his versibus scripsit. Primus item inter Italos Comœdias dedit & Tragœdias, & sophonista ejus magno in precio habetur. Architecturâ maximè delectatus est, ab eoque Andræas Palladius & ipse Vicentinus, cujus quæ in eo genere exstant tantopere commendantur, ex communi fama etiam ab iis, qui alioqui Palladii gloriæ minimè invident, secreta artis præcipuè didicisse creditur. Inter commentandum, nam ejus vita nunquam fuit desidiosa, magna negotia sub Leone X & Clemente VII gessit, & obitis plerisque eorum jussu legationibus, & apud Carolum V & Ferdinandum fratrem præcipuæ existimationis fuit, comitis titulos ob nobilitatem & virtutem ab iis promeritus: cum summos honores in aula, in qua consenuit, sperare posset, vitæ cœlibis pertęsus,

conjuga-

conjugalem elegit, ſemel atque iterum ductâ uxore; tandemque Romæ laborioſæ vitæ finem impoſuit, anno ætatis LXXII. Diruto monumẽto, dum templum inſtauratur, in quo conditus fuerat, hæredes aliud ei ad S. Laurentii in majorum ſepulchro Vicetiæ poſuerunt, ubi & ædes familiâ ſuâ dignas in urbis ſuburbio diu ante conſtruxerat.

CIↃ IↃ LI.

M*Artinus Bucerus* Seleſtadii in Alſatia natus, quem relictâ Argentinâ in Angliam tranſmiſiſſe diximus, Cantabrigiæ diem ſuum obiit, pridie Kal. Mart. cum LXI ætatis annum ageret. Multorum carminibus epitaphiis celebratus, ac præcipuè duorum Suffolciorum fratrum, quorum mater ſemper ægrotanti aſſedit, & omnia humanitatis officia præſtitit; paulo antequam moreretur, cum Germaniæ ſtatum deploraret, vereri ſe ſæpius dixit, ut in tanto

to multorum ardore Deum cognoſcendi & Eccleſiæ inſtaurandæ, deficiente diſci- plinâ, quâ improbi caſtigarentur, & ordo in miniſterio ſervaretur, laudabiles eorum conatus diu aut fœliciter procederent. Ita- que optare unicè ſe, ut quæ ad Edwardum regem de Eccleſiæ diſciplina conſtituenda ſcripto comprehendiſſet, per Angliæ reg- num locum haberent, & religioſè obſer- varentur. Funus ejus magnâ frequentiâ ce- lebratum, plus IICIↃ hominum illud deducentibus, & corpus in majore urbis templo conditum eſt. Hic etiam annus ultimus fuit *Andreæ Alciato* Mediolanen- ſi, qui primus purioris litteraturæ & an- tiquitatis cognitionem ad Iuris ſcientiam attulit; in Gallia diu Avarici Biturigum Cuborum, & poſtea Avenione publicè profeſſus, ubi noſtris hominibus poſtea ad eandem ſcientiam illuſtrandam exem- plo ſuo viam præivit. Inclinatâ jam ætate, in Italiam relictâ Galliâ ſe contulit, & Bo- noniæ primùm, dein magnis ſtipendiis ab Hercule II evocatus Ferrariæ docuit; tan-

demque

demque multis editis ſcriptis emeritus ſenex Ticini, ubi & jus profitebatur, cum annos LVIII, M. VIII, dies IV vixiſſet, ſic enim ex ejus genitura ab Hier. Cardano conſcriptâ patet, ſub principium anni prid. Id. Ian. placidè in Deo obdormivit ad B. Epiphanii ſepultus. Eo junior *M. Antonius Flaminius*, Foro Cornelii nobili Galliç togatç oppido natus, ſub id Romæ deceſſit, qui ad Poëtices, in qua inter Italos excelluit, & ad Philoſophiæ ſtudia etiam pietatem non vulgarem adjunxit, in Alexandri Farneſii Cardinalis eximii litteratorum fautoris familia diu verſatus, ejuſdem liberalitate ſublevatus; arctam & cum Reginaldo Polo amicitiam coluit, ab eoque monitus divinam Davidicorum Pſalmorum majeſtatem primus inter ſuos cum aliqua laude Latinis verſibus expreſſit, & Fr. Spinulam ſuo exemplo ad eandem Poëtices laudem invitavit; majora utique præſtiturus, niſi infirmitas ſtomachi, & alia valetudinis incommoda ſtudioſis familiaria retardaſſent,

ac poſtremo non ita ætate provectum eripuiſſent. Eo tempore inter eos, qui emendationi Eccleſiæ ſeriò incumbi conſultum ducebant, de iis quæ ad fidem & opera ſpectant, de gratia & libero arbitrio, de electione, vocatione, glorificatione in occulto controvertebatur: ac plerique aliter, quàm vulgo doceretur, de iis ſentientes, ſe auctoritate B. Auguſtini tuebantur; in eamque rem opuſcula ex ejus operibus collecta Auguſtinus Fregoſus Soſteneus Venetiis anno CIↃ IↃXLV excudi curaverat, additis notis ac ſcholiis: cui ſententiæ accedebat Flaminius, cum in cœteris fidei capitibus doctrinæ per Germaniam tunc diſſeminatę minimè adſtipularetur. Nam & luculentum ipſius exſtat inter vulgares clarorum virorum Epiſtolas de ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio ex Eccleſię ſenſu ſcriptis mandatum teſtimonium. Itaque cum alii, quibuſcum religionis cauſâ amicitiam coluerat, atque inprimis Galeacius Caraciolus Vici marchio, patriam reliquiſſent, ipſe in Ita-

lia

lia mansit; neque tamen occultam censuram effugit, ejus nomine passim in epistolis, quæ postea publicatæ sunt, propterea expuncto. Flaminii mortem in annum superiorem rejicit Antonius Caraciolus, qui vitam Pauli IV scripsit; qui & ipsum Paulum tunc Cardinalem Carafam dictum morienti astitisse, & cum de Flaminii, quem alioqui diligebat, fide dubitaret, magna pietatis & humanitatis officia præstitisse testatur. Sub id, & anno climacterico suo Veronę, illustri pręclarorum ingeniorum alumnę, in patria obiit *Ioannes Baptista Montanus* medicus præstantissimus, cujus scripta magno in pretio habentur, partim ab auctore dum viveret publicata, partim à grato discipulo Ioanne Cratone, qui medicinam fœlicissimè sub III Imp. fecit, post ejus mortem edita. Paulo post *Ioachimus Vadianus* mortalitatem exuit, Fano-Galli apud Helvetios natus, Mathematicis artibus ac Geographiæ præcipuè, quam scriptis illustravit, cognitione clarus, tum & ad ex-

tremum etiam Theologus non exigui inter ſuos nominis, & propter prudentiam cum ſumma integritate conjunctam ex umbra & pulvere litterario in lucem civilem evocatus, delato à civibus ſummo patriæ ſuæ magiſtratu, in cujus adminiſtratione non ſolùm conceptam de ſe ſpem æquavit, ſed etiam longè ſuperavit; ut ejus exemplo confirmari poſſit, philoſophis & litteratis hominibus reip. adminiſtrationem minimè interdicendam eſſe.

CIↃ IↃ LII.

HOc anno multi doctrinæ atque eruditionis famâ excellentes ultimum vitæ diem clauſerunt. *Eberardus* Bilichius Tridenti, quò, ut concilio intereſſet, venerat, Id. Ian. deceſſit, ob ingenii in enodandis ſacræ doctrinæ perplexis quæſtionibus ſubtilitatem magni nominis Theologus. Nec multo poſt Uratiſlaviæ in Sileſia obiit *Io. Cocchlæus* Norimberga natus,

natus, insignis Theologus, & multis atque eruditis pro canonicæ Scripturæ & Ecclesiæ Catholicæ auctoritate scriptis editis clarus; preterea acer in disputando, & in comitiis ac colloquiis Augustæ, Ratisponæ ac Vormatię sæpius cum principum Protestantium Theologis magnâ cum laude congressus. Ex Protestantium numero *Gaspor Hedio* Eselingensis, qui Basileæ primùm & Moguntiaci Ecclesiastem egerat, dein Lutheri doctrinam amplexus, se Matthię Zellio, qui ante quadriennium mortuus est, Martino Bucero adjutorem præbuerat, postquam Argentinę XXIV annos docuit. XV Kal. IXbris fatis concessit. Quo eodem die *Andreas Osiander* Regiomontii in Borussia ad mare ex hac vita quoque migravit, cum ante quinquennium Norimberga eo confugisset. Is ibi novum dogma proposuit, & hominis justitiam non à fide, sed à Christi in nobis inhabitantis justitiâ pendere scripsit, ejusque sententię auctorem Lutherum laudavit: cumque multos

adversarios haberet, & Ioachimum Merlinum inprimis, qui Lutherum nunquam ita sensisse affirmabat, Alberti tamen Brandeburgici Borussiæ ducis favore adjutus obtinuit, & Merlinum finibus excedere coegit: tum libris editis sententiam suam quamvis à recta doctrina alienam confirmavit, & cum Lutheri scripta contra se facere videret, in ipsum Lutherum debacchatus, eum & Philippum Melanchthonem, ut novę atque adeo Aristotelicę Theologię conditores, quę carnem potius quàm spiritum redoleret, probris ac virulentis scriptis proscidit; quibus & hoc erroneum dogma admiscuit, quo adserit Christum, etiamsi per primi parentis peccatum non fuisset perditum genus humanum, nasciturum tamen nihilominus fuisse. Obiit & anno climacterico suo, peste correptus Basileæ *Sebastianus Musterus* Engelhemii natus, olim Tubingę in Franciscanorum sodalitio professus, postea abjecto cucullo Protestantium doctrinam amplexus. Is in Mathematicis multum

profe-

profecerat, præceptore usus Ioan. Stœflero Iustingensi, insigni Mathematico, qui post longam multorum annorum vitam Tubingæ ante XX annos decessit; postea verò se totum Hebraicæ linguæ & sacris libris addixit, multis editis in utraque scientia monumentis de repub. optimè meritus, adeo ut Germanus Esdras ac Strabo appellatus sit. Decessit & hoc anno XI Kal. Maias Ingolstadii ad Danubium, ubi profitebatur, *Petrus Appianus* Benevicius Leisnicæ in Misnia natus, astronomicæ rei scientiâ nostro ævo clarissimus, quam scriptis & novorum instrumentorum summo ingenio & accurata fide fabricatorum inventione illustravit, atque illo Cæsareo organo inprimis, quod Carolo V dicavit, eo nomine magnam laudem consecutus, & dignitate à Cæsare ipso auctus. Aliquanto post pridie Eid. IXbris *Iodocus Villichius* philosophiæ ac medicinæ studiis celebris, & vel magiricâ suâ à Conr. Gesnero publicatâ, ad posteritatem commendabilis, Francofordię ad Viadrum

è

è vita demigravit. In Italia vero IV Eid. Feb. Patavii fatis concessit *Lazarus Bonamicus* Bassanensis jam provectâ ætate, quippe LXIII annum attigerat, in ea celeberrima totius Italiæ Academia per XXI annos summâ cum omnium admiratione professus, & ob antiquitatis exactam cognitionem, omnigenam eruditionem, raram eloquentiam & acre judicium, tam ab Italis quàm à peregrinis, quamdiu vixit, magnâ dignatione, & meritò quidem habitus. Mortuum laudavit Hieron. Niger Venetus oratione extemporaneâ postridie habitâ. Idem mensis ultimus fuit *Lilio Gregorio Giraldo* patriâ Ferrariensi utriusque linguæ & omnis politioris literaturæ & antiquitatis, quam variis scriptis illustravit, longè peritissimo; qui fortunæ & corporis adversitatibus, meliore utique fato dignus, totâ vitâ conflictatus est, in direptione urbis, cum in Herculis Rangonii Cardinalis familia esset, bonis ejectus, & quod potius re omni ducebat amissâ supellectile librariâ; eandemque denuo fortunam ali-

quanto

quanto post expertus, cum Ioannes Franciscus Picus Mirandulæ Comes, cui & ille operam navabat, immani parricidio à Galeoto gentili suo occisus est. Inde cum se in patriam recepisset, cum Ioanne Manardo, & Cœlio Calcagnino viris doctissimis conjunctissimè vixit, arthritide sævâ diu vexatus, præcipuè à morte Manardi, ita ut non solùm pedibus ægrè se loco moliri, sed manibus debilitatis scribere omnino non posset, ac ne libros quidem evolvere, ad extremam senectutem, non solùm tenuitate miseram, in qua à Renata Ferrariensi sublevabatur, sed sine litteris, in quibus vir doctus superiorem vitam exegerat, molestam, ætate perductâ; tandemque cum annum LXXIV ageret, in grabato suo decessit, in monumentum quod sibi in majore urbis templo vivus paraverat, à Cynthio Ioanne Baptista Giraldo gentili & Prospero Pasetho hæredibus ex asse institutis illatus. Exeunte dein anno III Eid. Decembris obiit Florentiæ *Paulus Iovius* luculentus historiarum scriptor,

 ibique

ibique in Laurentii fano ſepultus. Is Novocomo in Inſubribus natus, ac Medicinam primò profeſſus, Clementis VII beneficio Nuceriæ Epiſcopus creatus fuerat: cumque ad Novocomenſem Epiſcopatum omnibus votis anhelaret, ſuæque erga Mediceam familiam, in cujus laudes adeo profuſus fuerat, obſervantiæ deberi id meritorum fiduciâ putaret, tamen ab eo obtineri non potuit: quod in cauſa fuiſſe plerique credunt, cur Clementem in hiſtoriis avaritiæ & tenacitatis inſimulet, cum alioqui homo gratioſus ſe paſſim obnoxium prodat, eoque nomine ipſi in pleriſque rebus fides derogetur, quòd ad gratiam, & in odium ſcripſiſſe, & venalem calamum habuiſſe ferè omnibus perſuaſum ſit. Conſtat certè eum à Franciſco I litterarum parente & doctorum ingeniorum fautore eximio honorificam penſionem quotannis accepiſſe; Momorantium vero M. E. & magnum Palatii magiſtrum, cum Henrici II initiis in aulam revocatus pro munere domeſticorum regiorum numerum

merum recenſeret, Iovii nomen induci juſſiſſe, ex eoque tantam indignationem illum concepiſſe, ut multa in Momorantii invidiam libro hiſtoriarum XXXI° inſereret; id alioqui minimè facturus, ſi eundem, quem ſub Fr. nciſco meruerat, Momorantii favore ab Henrico honorem & honorarium conſequi potuiſſet; vixit annos LXIX, menſ. VII, dies XXII. Abſtulit & idem annus magnum Hiſpaniæ lumen *Ferdinandum Nonium* Pinciâ Vaccæorum oppido natum, atque inde nomen vulgo ſortitum, è nobiliſſimâ Guſſmanorum gente oriundum: qui cum ſub Ælio Antonio Nebriſſenſi in patria, in Italia Bononiæ ſub Philippo Beroaldo litteris humanioribus operam dediſſet, & Græcam linguam, ad quam eo ſeculo ferè incognitam incredibili ſtudio ferebatur, inibi didiciſſet, inde comparatis magno pretio exemplaribus Græcis, domum reverſus, primus linguæ illius, qua omnis fere eruditio continetur, uſum in Hiſpaniam intulit, & Ferdinandi regis, qui patris ipſius

in ærarii præfectura ſedulò adminiſtrata fidem probaſſet, favore ſubnixus, cum ad honores virtutis viâ graſſari poſſet, ſtudia litterarum vitæ civili prætulit, & Franciſco Ximenio Cardinali, cujus pietati & animi magnitudini tantum Hiſpania debet, operam ſuam & induſtriam in providenda illa ad omne ævum duraturâ Bibliorum editione addixit, & poſtea Demetrio Lucæ Cretenſi, quem Cardinalis ille, ut litteras Græcas in nova Academia à ſe ingentibus ſumptibus Compluti in Carpetanis paulo ante inſtitutâ profiteretur, ex Italia evocaverat, in eo munere ſucceſſit; dein Salmanticam divertit, alteram totâ Hiſpaniâ maximè famoſam Academiam, in qua & litteras Græcas ac Latinas profitendo conſenuit, editis Hermolai Barbari æmulatione in Plinium, Melam & Senecam populares ſuos commentariis. Quod ad mores, vir pius & verax, ſed dicax & aliorum acerrimus cenſor, de cetero faſtûs omnis ac gloriæ contemptor fuit. Vixit cœlebs & abſtemius, frugali

ſed

ſed citra ſordes menſâ amicos ac diſcipulos excipiens ; tandemque octogenario major legatâ ſcholæ Bibliothecâ, quam inſtructiſſimam habebat, & erogatis in pauperum uſum facultatibus, placidè in Deo obdormivit, ad B. Suſannæ humili ſacello juxta portam rivalem, qua ad Formim fluvium itur, ſepultus, ubi & ejus tumulo quatuor, nec plura, ſic enim extremis tabulis mandaverat, verba inſcripta ſunt. *Maximum vitæ Bonum mors.*

CIↃ IↃ LIII.

KAl. Ianuar. hujus anni *Ioannes Rivius* Athendori, quod eſt oppidum Occidentalis Saxoniæ, Albionis & Vitichindi Saxonum Principum patruelium ſacro lavacro auctoritate Caroli Magni ablutorum nobile, natus, Miſenæ Hermundurorum, ubi ludo litterario præerat, obiit, cum annos cum ſeculo numeraret. Is Coloniæ primùm, dein poſt Georgium Agri-

colam Zuiccaviæ, poſtea Annebergi, ac tandem Miſenę, ab Henrico Saxone Mauritii VII viri patre evocatus, pueritiæ ac juventuti inſtituendæ ſedulam operam XXV annos impendit, Latinæ linguæ ex Terentii præcipuè fabulis, quas & notis illuſtravit, hauriendæ & addiſcendæ ſuis auctor & hortator aſſiduus: ad extremum, ſtudiis Theologicis ſe totum mancipavit, in quibus & multa ſcripſit, ac poſtremò defecit, Georgio Fabricio Chemnicenſi, qui ejus vitam deſcripſit, in munere ſcholæ regendæ ſucceſſore relicto.

Haud multo poſt prid. Kal. Mart. Salfeldiæ in natali ſolo tabe extinctus eſt *Eraſmus Reinholdus* qui ſecundum Ioannem Mullerum Regiomontanum, & Nicolaum Copernicum rem aſtronomicam maximè illuſtravit, additis ad Ptolomaicas & Alfonſinas directionum & motuum cœleſtium Prutenicis tabulis exactiſſimè putatis cum logiſtica Aſtronomicorum ſcrupulorum, plura præſtiturus, niſi eum præmatura mors nobis eripuiſſet; nam

nam tantùm annos XLII in vivis fuit.

Poſt eum exeunte VIIIbri *Iacobus Sturmius* magnum Nobilitatis Germanicæ ornamentum, anno climacterico ſuo ex febri quartana Argentinæ è vivis exceſſit, vir & rarâ eruditione & rerum agendarum peritiâ inſignis, qui Ioanni Sleidæno ad ſcribendam hiſtoriam auctor & adjutor fuit, & Franciſco in negotiis, quæ illi cum Imperii principibus & civitatibus erant, egregiam admodum ac fidam operam navavit.

Menſe præcedenti VIII Eid. *Ioan. Bubravius Skala*, quod erat antiquum familiæ, antequam in equeſtrem ordinem cooptata eſſet, nomen, debitum naturæ perſolvit, apoplexiâ ſuffocatus, Pelſinæ non ignobili Boëmiæ oppido natus, qui bello & pace impiger patriæ hiſtoriæ luculentâ ſcriptione bene de ſuis meritus, Ferdinando fidam operam navavit tempore belli Saxonici in Boëmiæ ſedandis ſeditionibus; & poſt illud fœliciter confectum, in popularibus ſuis Principi juſtâ irâ accenſo

concili-

conciliandis, Olomucensi in Marcomannis Episcopatu ob id auctus, quem totum decennium summâ prudentiâ & sanctimoniæ laude tenuit.

Hic & annus abstulit *Ioannem Baptistam Egnatium* familiâ honestâ, sed in tenui re, Venetiis natum, Angeli Politiani, qui bonas litteras in Italia intermortuas excitavit, discipulum, quique eas non mediocri studio illustravit, & scriptis & publicâ XL annorum professione, cum summâ totius Italiæ admiratione; ob id ab illustrissimo Senatu eam gratiam consecutus, ut quanquam publico munere defunctus, eodem stipendio, quod profitendo meruerat, quotannis donaretur; & ejus bona ex Xviralis concilii decreto publico censu eximerentur. Tandem sacrum ordinem professus, beneficii à repub. accepti memor treis amplissimis patritii sanguinis familias, Molinam, Lauretanam & Bragadenam, supremis tabulis hæredes instituit, qua in hæreditate præcipuè numeratur copiosa librorum supellex, nummis antiquis aureis, argenteis

genteis & æneis, aliisque præterea veteris ævi monumentis instructissima. Obiit octogenarius IV Non. Ytil. ad B. Marinæ honorificè funeratus.

Sed maximè omnium funesta, quamvis non omnino immatura mors fuit *Hieronymi Fracastorii* Veronæ loco nobili nati, qui ad exactam Philosophię & Mathematicarũ artium, ac præcipuè Astronomiæ, quam & doctissimis scriptis illustravit, cognitionem summum judicium & admirabile ingenium attulit, quo multa ab antiquis aut ignorata aut secus accepta adinvenit, & explicavit, & medicinam, ut honestissimè ac citra lucrum, ita fœlicissimè fecit. Poëticam vero ita excoluit, ut ad Virgilianam Majestatem proximè accessisse eum faterentur æmuli, & in iis Iacobus Sannazarius, alioqui parcus & amarulentus alienæ eruditionis laudator, qui visâ ejus Siphilide, non solùm Ioannem Iovianum Pontanum, sed se quoque ipsum in opere accuratâ XX annorum limâ perpolito victum exclamavit. Ei certe hujus seculi in-

gens miraculum Iulius Cęsar Scaliger tanquam illarum, quas dixi, ſcientiarum & Poëtices ſummum faſtigium conſecuto aras erexit. Obiit in Caphiis ſuis villâ amænißimâ ad Baldi montis radices ſitâ, quo ſæpe ab urbe recedebat, ſeptuagenario major, ex apoplexiâ, VIII Eid. VIIil. Inde corpus ejus Veronam relatum, & ad B. Euphemiæ ſepultum eſt. Æneæ illius & Andreæ Naugerii Veneti viri doctißimi effigies ſcientißimè expreſſæ Patavii in Benedictino fornice viſuntur à Io. Baptiſta Ramuſio utrique amicißimo poſitæ, additâ antiquæ aræ pervetuſtâ dedicatione ex ruinis Salonæ urbis erutæ, ut qui arctâ inter ſe neceßitudine conjuncti vixerant, & pulcherrimarum rerum ſcientias ac politiores litteras adeo excoluerant, eodem in loco ſpectarentur, & à juventute Patavinâ univerſoque gymnaſio quotidie ſalutarentur.

Hic

CIↃ IↃ LIV.

HIc annus ultimus fuit *Ioanni Fero* professione Franciscano, qui in Moguntinensi Ecclesia concionatorem egit, multaque scripsit tantâ moderatione, ut, scissâ ob religionis causam Germaniâ, ab utraque parte gratiam meruerit, tandemque in laudabili munere suo assiduus die B. Mariæ natali ad meliorem vitam migravit.

Fuit & hic annus ultimus *Xisto Betuleio* Augustæ Vindelicorum nato, ubi ille & Gymnasio præfuit per annos XVI, & rem litterariam, dum vixit, non mediocriter voce & scriptis editis juvit, à Io. Baptista & Paulo Haintzeliis Augustavis fratribus vicem bene merito de se præceptori rependentibus honorificè ibidem sepultus.

Eum mox secutus est *Simo Portius* Neapolitanus in patria anno ætatis LVII mortuus, olim P. Pomponatii Mantuani

 celeber-

celeberrimi ætate ſua Philoſophi diſcipulus, nequaquam præceptore ſuo inferior, ſed in eo ſuperior, quòd ad Peripateticæ ſcientiæ à doctoribus Barbaris hactenus tractatæ cognitionem linguæ Græcæ & bonarum litterarum ornamenta attulit; nonnihil, dum Ariſtotelicæ doctrinæ plus juſto tribuit, in diſputationibus de anima & mente humana Pomponatii ſui culpæ affinis creditus, pleriſque aliis in eo genere opuſculis, quæ extant, magnum nomen adeptus. Hiſtoriam piſcium cum Piſis, ubi publicè profitebatur, ſcribere aggreſſus eſſet, allato Gul. Rondeletii libro, quem ille ex Guillielmi Peliſſerii Epiſcopi Monpeſſulani commentariis compoſuit, ab incepto deſtitit, non ſine occulto livore, quòd ſperatam ex eo opere gloriam ſibi præreptam videret, neque committendum putaret, ut decus longo jam tempore partum, intempeſtivè augendæ famæ cupiditate decoqueret.

Eodem ætatis anno *Sigiſmundus Gelenius* in Boëmia natus Baſileæ deceſſit, cum egeſtate

egeſtate totâ vitâ conflictatus & lautiore fortunâ dignus ab Eraſmo judicatus, cujus induſtria præcipuè in vertendis pleriſque ſcriptoribus Græcis & Plinio ad vetuſtorum codicum fidem emendando deſudavit. Alii obitum ad annum ſequentem incipiunt.

Sub id *Franciſcus Franchinus* Conſentię in Brutiis natus, non ita provectâ ætate Romæ, ubi fere vitam exegit, debitum naturæ perſolvit. Is Marti Muſas ſociavit, & victricia Caroli V arma ſecutus, Algerianæ expeditioni interfuit, ejuſque infœlicem ac periculoſum ſucceſſum luculentis verſibus deſcripſit; Ulrico Huteno equiti Franco, quamvis in diverſo ſcribendi genere ingenium exercuerit, quadantenus comparandus, cujus elegantes admodum dialogi, nec Luciani acumini cedentes, ex immaturo docti æquè ac ſtrenui viri obitu, quaſi parvæ tabulæ ex magno naufragio ſuperſunt, & hodie mirâ cum ſuavitate ab æquis talium rerum æſtimatoribus leguntur. Poſtea

Franchinus à Iulio III Maſſæ ac Populoniæ in Etruria Epiſcopus creatus, eâque in dignitate defecit, ad S. Trinitatis in colle hortulorum ſepultus.

CIↃ IↃ LV.

HOc anno vivis exemptus eſt *Volfangus Lazius* Viennæ Auſtriacæ in patria ferè quinquagenarius, rerum Græcarum ſimul Romanarum & Germanicarum non indiligens ſcriptor, quod præclara ejus monumenta apud poſteritatem teſtantur, patriæ ſuæ illuſtrator, & antiquitatis ſollers indagator, ex medico Cæſareo à Ferdinando non ſolùm in conſilium, ſed etiam ob egregia erga ſe ac rempublicam litterariam merita, in ordinem equeſtrem allectus.

Conradus item *Pellicanus* Rubeaquo in Alſatia natus, & diu Hebraicas litteras Tiguri magnâ cum laude profeſſus, qui innumera fere Rabbinorum commentaria

ria non ſolùm in ſacram Scripturam, ſed etiam de arcanis Iudaicæ doctrinæ ritibus ſcripta ex Hebraicis Latina fecit, hoc anno valde ſenex naturæ debitum perſolvit.

His annumerabo *Georgium Agricolam* Glauchæ Miſniæ natum, qui de re metallica, foſſilibus & ſubterraneis animantibus ita accuratè hoc ſeculo ſcripſit, ut omneis antiquos in eo genere longè ſuperaverit, & exactâ non ſolùm eorum, quæ â veteribus prodita ſunt, explicatione, ſed & multarum rerum, quas veniens ætas indagavit, veſtigatione eam hiſtoriæ naturalis partem illuſtraverit: additâ poſt Gulielmum Budæum, Leonardum Portium & Andream Alciatum de ponderibus, menſuris, de pretiis metallorum & monetarum diligentiſſimâ tractatione: ac tandem hoc anno Chemnicii Hermundarorum haud longè à maximè famoſis hoc ævo Saxonum VII virorum argenti-fodinis, ubi multa ipſe coram priſcis incognita exploravit, & obſervavit, ultimum vitæ diem

clauſit

clausit, XI Kalend. Decembris, cum annum ætatis LXI ageret.

Ante Agricolam fatis concessit VIII Kal. Iun. *Gemma* à Patria *Frisius* vulgo dictus, Lovanii medicinam publicè professus; sed Mathematicarum scientiarum, quas domi docebat, rarâ scientiâ longè illustrior fuit, quas etiam instrumentis summo artificio elaboratis cum primis illustravit: & in aulam Caroli V sæpe evocatus, cum se modestè excusaret, otium sibi gratiâ Principum potius esse insigni exemplo docuit: in quo & defecit, calculi malo extinctus, cum tantum XLVII annos exegisset, Cornelio Gemma filio relicto, qui easdem artes magnâ cum laude Lovanii professus, intermortuam patris gloriam, sollertiâ propriâ ac doctissimis scriptis editis renovavit.

Aliquanto post III Non. VIIIbris. *Edwardus Vottonus* Oxonii natus & apud suos medicinam professus, editoque de differentiis animalium commentario, clarum inter litteratos adeptus nomen, anno cli-

macterico

macterico suo, relictâ numerosâ sobole, Londini decessit, ad Sancti Albani sepultus.

Isidorus Clarius patriâ Brixianus, professione Benedictinus, in primis commemorandus venit, qui Fulginii Ecclesiæ per septennium præfuit, vir tribus linguis doctissimus, qui ad doctrinam Christianam mores castissimos, vitam integerrimam, animum nihil præter charitatem & Ecclesiæ emendationem ac unionem spirantem attulit, tantâ in pauperes largitate, & in omnes benignitate usus, tantâque sanctitatis opinione inde concitatâ, ut post mortem turbâ ingruente & invitis custodibus ædes perrumpente, totis quadraginta horis ad deosculationem patuerit, nullo fętore emisso. Vixit sexaginta annos, & febre violentissimâ correptus V Kal. Iunii placidè ad Deum migravit, in Ecclesia sua Fulginii sepultus.

Quo & eodem anno immaturâ morte erepta est *Olimpia Fulvia Morata* Ferrariensis, morum sanctimoniâ, ingenio &

eruditione cum quavis prisci ævi comparanda fœmina. Huic parens fuit Fulvius Peregrinus Moratus Mantuanus homo doctus, qui filiam in litteris instituit, in quibus tantum profecit, usa etiam Chiliano Sinapio præceptore, ut Græcè & Latinè scribere eleganter, & versus utrâque linguâ pangere didicerit, dein in Renatæ Herculis II Ferrariensis uxoris familiâ cum Protestantium doctrinam hausisset: ubi & in comitatu atque adeo amicitiâ Annæ Atestinæ, quæ postea Francisco Lotaringo Guisæ Duci nupsit, principem locum tenuit, totam se Theologicis studiis mancipavit. Postremò ob religionem natale solum vertere coacta, cum Æmilio fratre in Germaniam venit, & Andreæ Gruntlero medico nupsit, cum quo conjunctissimè, sed paucis annis vixit, & Heidelbergæ, ubi larem fixerat, VII Kalend. Novembris ex hac vita excessit, cum vix totos XXIX annos exegisset: eam mox Æmilius frater, & Andreas maritus secuti sunt, in eodem tumulo ad D. Petri conditi.

diti. Hujus miſcellanea coegit & publicavit Cœlius ſecundus Curio, ob religionem & ipſe Italiâ profugus, quæ fœminæ omni laude digniſſimæ mores & raram eruditionem exprimunt, & quid à tam excellenti ingenio exſpectari potuiſſet, niſi præmaturè adeo in vivis eſſe deſiiſſet, clarè oſtendunt.

Præceſſit hos omnes *M. Antonius Majoragius* à Majoragio vico, in quo Iulianus Comes ejus pater habitabat, ita vocatus, cum ante Antonius Maria Comes diceretur, ob idq; à Fabio Lupo & Maximo Nigro accuſatus, à quo ſe crimine ille luculentâ in ſenatu Mediolanenſi habitâ oratione purgavit, & non ſine exemplo factum oſtendit, ut nomen mutaret. Multum eloquentiâ valuit, & Ariſtotelis & Ciceronis de ea arte libros maximè illuſtravit. Hunc etiam adverſus Cœlii Calcagnini calumnias defendit: & cum poſt egregiè navatam totos XIII annos in erudiendâ juventute Mediolanenſi operam, ad ſacræ doctrinæ ſtudia ſe demum contuliſſet, in Deo ob-

dormivit, pridie Non. April. anno ætatis XLI, Mediolani in majori templo, tumulo à se vivo extructo à Bartholomæo Comite uxoris fratre conditus.

Apud nos *Orontius Fineus* Delfinas patre medico Brigantione natus, prid. Non. VIIIbris paulo sexagenario major, ultimum vitę diem clausit. Is primus secundum Iacobum Fabrum Stapulensem, (qui scientiarum orbem in Gallia à multis seculis incognitum aut intermortuum excitavit, sed principia sola tradere contentus, cum ad majora pergeret, tantùm fontes indicavit) Lutetiæ Parisiorum magnâ frequentiâ Mathematicas scientias à Francisco præmiis invitatus docuit, & scriptis pro tempore eruditissimis illustravit.

Ex nostris & hoc anno Romæ decessit *Petrus Gillius* Albiensis, qui ad exactam utriusque linguæ, antiquitatis, veterum scriptorum, bonarum disciplinarum, ac præcipuè rei naturalis cognitionem, indefatigabile longinquas regiones lustrandi studium attulerat: quo incitatus, per XL amplius

amplius annos institutâ per Græciam, Asiam utramque, & majorem Africæ partem diligenti peregrinatione, partim ut Græcos libros, sic enim à Francisco I jussus erat, undique colligeret, partim ut multorum locorum positum describeret, morsuo eo, diu vagatus, cum raro Dei beneficio ex Gerbensium piratarum manibus elapsus esset, tandem in familiam munifentissimi litterarum patroni Georgii Armeniaci Cardinalis, qui Romæ regis negotia procurabat, tanquam in tutissimum portum se contulit, ubi dum ordinandis ac recolligendis, quas tanto tempore sparsim congesserat, narrationibus dies noctibus continuat, ardentissimâ febre correptus diem supremum clausit, annos natus LXV, & ad B. Marcelli funeratus est. Scripta ejus ne perirent, ejusdem Armeniaci Cardinalis in clientem amor, & propensum ad rem litterariam juvandam studium prohibuit, qui partem majorem eorum in Galliam adferri jussit, & publicanda curavit. Pars tamen eorum à Petro Be-

lono Cœnomano amanuensi & peregrinationum per aliquot annos comite subrepta creditur, qui licet ea suo, non Gillii nomine postea evulgaverit, tamen vel plagiarius non mediocrem à litteratis gratiam inivit, cum quod multi faciunt, illa publico minimè invidit.

CIↃ IↃ LVI.

SUb exitum VIIIbris, cum historiam huc illuc usque exactâ fide & diligentiâ pertexuisset, scribendi & vitæ finem fecit *Ioannes Sleidanus*, lue populari correptus, anno ætatis LI. Sleida in Ubiis oppido haud longè à Marcoduro natus & ab eo cognominatus, vir eruditione & rerum agendarum peritiâ hoc seculo clarus, qui adolescentiam apud nos fere egerat, & in Bellaiorum familia diu versatus, res magnas sub Ioanne Bellaio Cardinali gesserat ac didicerat. Deinde incalescente per Galliam in Lutheranismi suspectos animadversione, in Germaniam seces-

ſeceſſit, & Argentinenſi reipublicæ ſuam operam addixit, in eaque urbe tot rerum quas geſſerat, aut à fide dignis acceperat, notitiâ fretus, commentarios ſcribere aggreſſus eſt.

Nec multo poſt *Ioannes Forſterus* Auguſtanus, vir linguæ Hebraicæ ſcientiâ clarus, quam & ſcriptis luculentis illuſtravit, cum longo tempore Vitembergæ docuiſſet, pridie Eid. Xbreis è vivis exceſſit, annos natus LXI.

Ante eum XV Kalendar. VIIbris. *Sebaſtianus Corradus* Arcelli, quod antea Bocardorum, nunc Iulii Tieni Scandiani Marchionis caſtellum eſt, VII Regio-Lepidi milliaribus natus obiit, in Dominicanorum æde Regii ſepultus, qui tunc Bononiæ primarius linguæ Latinæ ac Græcæ profeſſor, olim Baptiſtæ Egnatio operam navaverat, ejuſque præceptis inſtructus maximè Ciceronem illuſtravit, & Quæſtura illa ſua ob rationem ejus ſumma fide relatam, aliaque in eundem edita, apud doctos, præſertim P. Victorium, M.

Anto-

Antonium Flaminium, Romulum Amasæum, P. Manutium, præcipuum merito nomen adeptus est.

Nec prætermittendus videtur *Ioannes Gelida* Valentiæ (quæ Ludovico Vivi viro doctissimo anno hujus seculi XLI Lovanii, ubi profitebatur, defuncto patria fuit,) natus; qui cum sub barbaris doctoribus apud suos Philosophiæ operam dedisset, Lutetiam jam famosum toto orbe litterarum emporium venit, ubi sophistices illius & inutilium quæstionum, quæ ex ea nascuntur, pertæsus, longè diversam studiorum rationem, quo erat ingenio acri & acuto, sibi mox ineundam sensit, & Iacobi Fabri Stapulensis litteris renascentibus facem præferentis doctrinâ ac præceptis meliùs instructus, etiam utriusque linguæ puriorem cognitionem jam grandior natu percepit, & animum ad Aristotelem suum illustrandum adjecit, quem & magnâ auditorum frequentiâ in Cardinalitia schola interpretatus est. Inde Burdigalam evocatus, ludo Aquitanico præfuit, Andrea

Goveano

Goveano gymnasiarchâ interea ad Iohannem Lusitanorum regem in patriam profecto, ut Conimbricæ ludum aperiret, quo & secum cum Gelidam ipsum unà cum Patricio & Georgio Buchananis Scotis, Nic. Gruchio, Gul. Guerenta Rotomagensibus, Elia Vineto Santone, Arnoldo Fabricio Vasatensi, aliis, ducere vellet, nunquam potuit persuadere homini Gallicanis moribus assueto, ut ad suos Hispanos redire vellet. Itaque Burdigalæ remansit, reditum Goveani opperiens; quo ante constitutum biennium in Lusitania mortuo, Gelida in precaria ludi præfectura, quam per Goveani absentiam veluti apud se depositam summâ curâ administraverat, à Senatu populoque Burdigalensi confirmatus est, eamque pari laude totum septennium tenuit, ac tandem hoc anno XI Kal. Mart. sexagenario major in summa rei familiaris angustia decessit, superstite uxore & filiolâ; & cum multa domi effecta, quæ publico daturus esset, habere crederetur, nullis ingenii sui monumentis

 relictis;

relictis; tantum paucas ejus epistolas cum aliis aliquot Arnoldi Fabricii, Iacobus Bussinus longo post tempore Rupellæ publicandas curavit, hoc veluti ultimo pietatis officio, bene merito de se præceptori gratiam potius rependens, quàm quòd eas expectationi de tanto viro conceptæ respondere existimaret.

CIↃ IↃ LVII.

ABstulit hic annus aurei illius seculi, quo P. Bembus, A. Naugerius, B. Egnatius, H. Fracastorius, aliique ejusdem melioris notę viri in Italia floruerunt, litteratorum fere ultimum *Ioannem Baptistam Ramusium* Pauli I C. filium, ut linguæ Græcæ Latinæque ac scientiarum omnium peritissimum, sic negotiis gerendis exercitatissimum; in quibus explicandis rara sollertia meruit, ut Senatus Venetus ejus operâ totos XLIII annos in gravissimis reipublicę negotiis usus sit, tam in scribæ munere,

munere, quàm in oratorum ad principes diversis temporibus missorum comitatu. Hujus diligentiæ debemus collecta ac digesta variarum navigationum volumina, quas & præfationibus doctissimis interdũ illustravit, & inprimis philosophicâ de Nili incremento ad Francastorium ob studiorum similitudinem conjunctissimum amicum disceptatione à veteribus plerisque agitatâ, à paucis hodie intellectâ. Scripsit præterea, sed imperfectum reliquit, de fluxu & refluxu maris tractatum, materiam multis tentatam, sed in qua nemo adhuc fecit satis. Provectâ demum ætate missionem à bene merita de se republica impetravit, & Patavii, ubi senectutis nidum posuerat, annos natus LXXII, ultimum diem clausit. Corpus inde Venetias translatum, & ad S. Mariæ hortensis sepultum fuit.

Hoc exeunte anno Venetiis jam senex obiit *Nicolaus Tartalea* Brixianus insigni de numeris & mensuris in VI parteis distributo opere, & aliis ad Euclidem scriptis

 editis

editis clarus, qui multa in eo genere à Luca Bragensi monacho sollertissimè inventa illustravit, multa correxit, & Hieronymi Cardani æmulatione varias quæstiones ingeniosè pertractavit, ita tamen, ut practici numerorum calculi, qui in usu inter negotiatores versatur, majorem semper rationem habuerit.

Anteà *Petrus Nannius* Alkmariæ in Batavis natus, Lovanii ubi diu in Buslidiana schola Græcam Latinamque linguam magnâ eruditionis non vulgaris laude professus fuerat, multis ingenii sui editis monimentis, quibus rem litterariam multum promovit, ultimum diem clausit, XII Kal. VItil: cum vitæ annos cum seculo numeraret, in primaria urbis æde cum honorifico Sigismundi Friderici Fuggeri elogio sepultus. Huic in munere suffectus est Cornelius Valerius Vetteris itidem in Batavia natus, qui magna ingenii & elegantis in omni scientiarum genere doctrinæ laude floruit usque ad annum hujus seculi LXXVIII, quo vitam cum morte commutavit.

Post

Post Nannium *Vitus Amerbachius* Vendingæ in Bojoaria natus, in Academia Ingolstadiensi Philosophię professor septuagenarius, Eid. VIIbrib. ad Deum migravit.

Salmonium Macrinum Iuliodano natum, qui hoc anno domi suæ senio plane confectus fatis concessit, ne nunc silentio prætercam, Poëticæ studium, cui primos adolescentię annos consecravit, apud nos ante ipsum fere neglectum facit. Is cum sub Iacobo Fabro Stapulensi prima discendi fundamenta jecisset, protinus ab Academia Parisiensi ad erudiendos Claudium & Honoratum Renati Sabaudi Tendæ comitis filios evocatus est, unde illi patuit ad aulam aditus, atque adeo ad Bellajorum, qui tunc meritis suis præcipuum apud Franciscum gratiæ locum obtinebant, amicitiam, & Iohannis Bellaii Cardinalis in primis, cujus ad eum multa carmina inter Lyrica, quibus potissimum Macrinus excelluit, hodie leguntur. Ex Lyricis autem illis præcipue laudantur, quæ cœlibis

vitæ pertæsus, cum de uxore ducendâ cogitaret, in Gelonidis suæ castissimos amores lusit, ex cujus postea matrimonio pulcherrimam sobolem sustulit, primitiasque ejus Charilaum nihilo parente in Poëtica inferiorem, sed longè linguæ Græcæ cognitione superiorem, qui Catharinæ Henrici tunc Navarræ regis sororis præceptor à matre datus, in tumultu Parisiensi postea cum permultis aliis indignâ morte periit.

Circa hæc tempora & fatis concessit *Angelus Caninius* Anglarensis, vir linguarum non solùm Græcæ & Hebraicæ, sed Syriacæ & aliarum Orientalium rarâ & exquisitâ cognitione insignis, iis perdocendis diu in Italia, Venetiis, Patavii, Bononiæ, Romæ, atque in Hispania vagus: demum Andreæ Duditii Pannonii, cujus illustre nomen in litteris, & ob legationes ab eo obitas postea fuit, adolescentiæ admotus, Lutetiæ Parisiorum docuit, ac postremò in familiam Gul. Pratensis Episcopi Claramontani migravit, & in Aruernis finem studiis & vitæ fecit. Fuit

CIↃ IↃ LVIII.

FUit & hic annus doctrinâ illustrium virorum morte insignis. Nam XII Kalend. April. *Ioannes Bugenhagius* Iulini in Pomerania natus, moderato ingenio & eruditione rarâ excultus, obiit Vitembergæ, cum annum ætatis ageret LXXIII.

Et sexto post die apud nos *Ioannes Fernelius* Ambianus, natus LII annos, regis Archiatros, Lutetiæ ad B Iacobi in macello sepultus, qui cum plures annos in Philosophicis ac Mathematicis studiis summâ cum laude exegisset, demum se medicinæ totum mancipavit, quam & fœliciter fecit, & universam doctissimis & politissimis scriptis complexus est: quæ etsi morte præventus non edidit omnia, ut nec propriarum observationum desideratissimos libros; tantum tamen veræ gloriæ iis quæ publicata sunt, Europâ totâ est

adeptus,

adeptus, ut tanto viro disciplinæ suæ alumno schola Medicinæ Parisiensis æternùm sit jure gloriatura.

Eum & eodem anno secutus est *Ianus Cornarius* Zuicaviensis & ipse medicus insignis, qui plerisque antiquorum Philosophorum, medicorum ac Theologorum scriptis Græcis editis ac Latio donatis à studiosis non mediocrem inivit gratiam. Obiit in patria, XVII Kalend. April. cum annos cum seculi hujus cursu numeraret.

Ante eum *Iacobus Micyllus* Argentinæ anno hujus seculi III natus summâ cum Ioachimo Camerario necessitudine conjunctus, cum diu humaniores litteras Heidelbergæ secundâ famâ professus esset, & scriptis variis illustrasset, hoc anno V Kal. Februar. denatus est.

Paullo post *Ioannes Pena* Aquis Sextiis familiâ senatoriâ natus, rarâ Mathematicarum artium cognitione insignis, quarum amorem & gustum P. Ramo, dum in Prælæa schola Lutetiæ docerent, instillaverat,

verat, multis Euclidæ non ante viſis monumentis evulgatis & Latinitate donatis & explicatis, atque Catoptricis præcipuè, in quorum præfatione de uſu cylindrici ſpeculi multa dictu vix credibilia, & quæ pleroſque in errorem ſuperſtitioſos induxerunt, doctiſſimè demonſtrat; cum plura ab admirando ejus ingenio exſpectarentur, in ipſo ætatis flore, XXX tantùm annos natus, violentâ febre ereptus eſt, X Kalend. VIIbris ad Carmelitarum in porticu ſepultus.

Eodem menſe Romæ obiit annum agens LXIX *Romulus Amaſæus*, Utinæ, quæ Robortello & Luiſino patria fuit, natus, ſed origine Bononienſis; qua in urbe diu litteras Græcas Latinaſque magnâ cum laude profeſſus eſt, & uxorem ex Vaſtavillanorum familia duxit, ob idque jure poſtliminii antiquæ patriæ reſtitutus priſtina jura & immunitates meruit: poſtea & ſub Paulo III Alexandri Cardinalis nepotis pueritię erudiendę admotus, etiam honorificas legationes ad Cæſarem, cæte-

ros Germaniæ Principes & Poloniæ Regem obiit, & ſub Iulio III jam conjuge elatâ principem locum inter litteratos in illa Aula tenuit. Quam laudem multis ſcriptis editis teſtatam reliquit, & Pompilio filio moriens, quaſi jure hereditario tranſcripſit.

Poſtea XII Kalend. IXbris *Iulius Cæſar Scaliger* anno ætatis LXXV Aginni in Nitiobrigibus ubi uxorem duxerat, deceſſit: vir, quo ſuperiorem antiquitas vix habuit, parem certe hac ætas non vidit. Nam ut nobilitatem omittam de qua inter omnes conſtat, ingenio, animi & corporis robore ſimul omnes æqualeis ſuos facilè ſuperavit. Primâ adoleſcentiâ militaribus muniis obeundis maximâ cum fortitudinis ac ſollertiæ laude decurſâ, & quamvis ſerò ad ſtudia applicato animo, tamen ingenii fœlicitate tantum profecit, ut ad exactiſſimam omnium Philoſophiæ partium ſcientiam, etiam linguarum, Grecæ præſertim ac Latinæ, ſummam peritiam addiderit, atque in iiſdem uſum, ſive

pedeſtri

pedeſtri ſive numeris aſtrictâ oratione ſcriberet, quo in utroque genere excelluit. Acerbiùs contra Eraſmum, fortaſſe juſtam ob cauſam, ſed quæ tamen taleis viros inter ſe committere non decuit, invectus eſt, non ſolum ea oratione, quæ per omnium manus volitat, ſed alterâ quæ rariùs reperitur, qua ſe prioris auctorem profitetur, non minore acerbitate ſcriptâ. Sed virum à gente vere generoſum poſtea præcipitis impetûs pœnituit, ſibique dolére ſcripto teſtatus eſt, quòd non ante mortem cum eo reconciliatus eſſet, cujus ſummam doctrinam cum ſingulari pietate conjunctam, & exquiſitum in litteris & de litteris judicium atque adeo par numinibus ingenium ſupra omneis admirabatur. Hic vir divinus cum veteribus comparatus, cum nemo unus eſſet, qui eum, ſive ingenium ſive fortitudinem ſpectes, exprimere poſſet, Xenophonti & Maſſaniſſæ citra vanitatem componi meruit. Ex Andieta Aupia Lobeiaca nobili fœmina, cui annos XIII natæ jam provecta ætate

 nupſit,

nupſit, plures liberos ſuſtulit, ex quibus ultimus hodie ſuperat Ioſephus Iuſtus Scaliger, qui ſecundum patrem nunc inter litteratos & in re litteraria principem ſine controverſia locum tenet, vere eruditorum Phœbus, ut politiſſimi ingenii vir eum indigitavit. De hoc ut plura dicam, nec pudor ejus patitur, nec per ingentia ipſius erga me merita licet; quanquam minimè vereor, ne propterea minùs vera de eo prædicare videar; cum quicquid dixero, opinione omnium vero minus ſit. Sed potius eſt ut tanti viri nomen per tranſennam appellaſſe contenti, cultum quo divinum ejus ingenium cum rarâ morum probitate conjunctum pro jure amicitiæ, quæ mihi cum illo intercedit, proſequimur, venerabili ſilentio, ut in ſacris fieri amat, obſignemus: tantum addam eundem, qui patris, fuiſſe filii de Eraſmo, & hoc, de quo modo dixi, diſſidio ſenſum.

Funeſtum & hunc annum fecit mors *Aloiſii Lipomani*, primùm Methonenſis, dein

dein Veronæ, & postremo Bergomi Episcopi, vitæ integritate & eruditione prçstantis, qui variis legationibus summâ prudentiæ laude defunctus, litterarum studium & scribendi diligentiam non intermisit, catenâ laboriosissimâ in Genesim, & Exodum & Psalmos inter occupationes illas elucubratâ.

Sub exitum anni & *Andreas Tiraquellus* Fontenaii in Pictonibus loco honesto natus, ultimum diem clausit, cum vario litterarum genere excultus, tum celeberrimus nostrâ ætate Iurisconsultus, eâque solâ commendatione in Burdigalensem Senatum sub Francisco I, dein in Parisiensem ab Henrico secundo cooptatus, ubi magnâ cum laude consenuit, æque ingenii ut corporis numerosâ fœcundus prole, cum singulis annos singulos libros ac liberos reipublicæ daret, magno non solum in præsens patriæ suæ ornamento, quç Tiraquellos, item Imbertos, Brissonios, Vietas & Rapinos rara jurisprudentiæ, Mathematicarum artium, & politioris litteraturæ

lumina protulit, ſed ad ſempiternam Galliæ gloriam, quæ quod à Fontenaio accepit, in univerſum orbem Chriſtianum, ubicunque doctrinarum ſplendor refulget, benigna diſpenſatione edidit.

Ante eos, Toleti, in majore templo, cujus ipſe Canonicus erat, *Ioannes Vergara* annum LXIV ſupergreſſus, diem ſupremum obiit IX Kalend. Mart. cum Franciſcum fratrem Græce Latineque doctiſſimum ante XIII annos eodem menſe extuliſſet. Uterque egregiam operam in Complutenſi Bibliorum editione cum Ferd. Pinciano & Antonio Nebriſſenſi navavit.

CIↃ IↃ LIX.

EOdem anno, ut viros quoque doctrinâ claros commemorem, *Franciſcus Duarenus* Brioci fano in Armorico loco nobili natus, cum vix L ætatis annum attigiſſet, deceſſit, juris ſcientiâ ſecundum Andream Alciatum, quem Avarici Biturigum

rigum Cuborum jus civile profitentem audiverat, ſua ætate clariſſimus: ad quam & politioris litteraturæ, & exactam antiquitatis cognitionem à magiſtro ſuo edoctus adjunxit: atque in eadem poſtea ſchola ipſe profeſſus eſt, magna frequentia ac celebritate cum Eguinario Barone populari ſuo, qui, ut erant tunc tempora, non mediocrem ſui famam excitaverat. Hujus tamen nunc nomen obſcurum, ſcripta pæne hominum memoriâ exciderunt. Duarenus vero jam provecta ætate magnas & acreis contentiones cum Iacobo Cujacio tunc juvene habuit, ex eoque non obſcuræ ſimultates inter auditores exortæ ſunt, ita ut ſchola Bituricenſis in parteis ſcinderetur, ob idque majus periculum immineret, niſi ceſſiſſet Cujacius, & Valentiam Segalaunorum migraviſſet; quo nomine poſtea ſe Duareni memoriæ plurimum debere prædicabat, cujus æmulatione factum eſſet, ut juris profeſſionem, quam tunc juvenis, ſeu præpoſtero parentum conſilio, ſeu ętatis levitate deſerere potuiſſet,

tuiſſet, ſemel apprehenſam mordicus retinuiſſet, & ad eam exornandam tam ſedulã & aſſiduam totâ vitâ operam impendiſſet. Duareni nunc opera in magno pretio, uti debent, apud doctos habentur, eaq; Cujacius ipſe plurimi ſemper fecit, cum ex quatuor Franciſcanis, qui eâdem ætate eandem ſcientiam profitebantur, unum Duarenum ſibi placere, cœteros jus tantum deligurire diceret. Sed ſcriptis illius accidit, quod ne ſuis accideret, ſummoperè ſemper veritus eſt Cujacius, ut nimirum prælectiones ex ore recitantis in ſchola perperam plerunque ab auditoribus exceptæ, quæque non eo conſilio fiebant ut ederentur, poſt ipſius mortem, reliquis ejuſdem operibus, quæ vivus publicaverat, nullo delectu admiſtæ ſint: in quo inſignem doctiſſimi viri manibus injuriam factam indignabatur Cujacius, eamque, me ſępius appellato, & aliis qui ſub eo meruerunt, à ſe ac ſcriptis ſuis deprecabatur.

Duareno adjungam *Æmarum Ranconetum* Veſuna Petracorium ortum, qui Duareno

reno ipſi ad multa in jure adinvenienda facem prætulit, virum omni politioris litteraturæ, & antiquitatis ſeu profanæ ſeu ſacræ, ac ſcientiarum genere excellentem, nec ſine miraculo dicendum, quippe qui unus ſimul omnia exactè habuerit, quæ ſingula ſingulos poſteritati cõmendare potuerunt. Nam & primus veros juris Romani fonteis aperuit, & humaniores litteras ex utriuſque linguæ ſcriptoribus illuſtravit, tum omnis phloſophiæ & Mathematicarum artium arcana percalluit: ac denique abſolutam omnium rerum cognitionem acri judicio adhibito percepit, & primùm ſenator Burdigalenſis, dein & in Pariſienſi curia alterius inquiſitoriarum claſſium præſidis munus magnâ cum laude exercuit: donec perturbatis hoc anno ob religionem rebus, eadem, quæ permultos alios fortuna diris publicæ calamitatis nexibus irretivit, & ipſum unà involvit, quamvis ob longè diverſam à religione cauſam in periculum vocaretur. Itaque in Baſtiliam arcem conjectus, quod ex aſtro-

rum judicio, scientiæ etiam illius, quam cum Hieronymo Cardano excoluerat, apprime peritus, jampridem eventurum præsagiverat; sexagenario major exquisito mortis genere obiit. Nihil ferè scripsit, sed uberem scribendi aliis materiam præbuit, copiosâ & omni librorum tam editorum quàm manu scriptorum ab ipso summâ diligentiâ annotatorum supellectile relictâ; unde doctissimi hujus ætatis viri laudato plerumque auctore, aliquando etiam suppresso, multa & ad suum decus & in publicum valde utilia hauserunt. Raro autem homo etiam rebus agendis natus interdiu litteris operam dare visus est. Ita quippe studiorum rationem instituerat, ut levi cibo sumpto temporibus cum se quieti dedisset, nocte concubio primoque somno exacto surgeret, eâdem fere horâ, quâ cœnobitæ nostri (quorum mores & instituta, in iis præcipuè quæ ad vitæ rationem & valetudinem tuendam pertinent, summoperè laudabat) ad preces matutinas fundendas quotidie surgunt, & cucullo

perinde,

perinde, ut illi, caput obnubebat, vestimento ad frigus ab humeris, cervice & auriculis arcendum accommodato, tum quatuor horas continuas lectioni ac meditationi impendebat; quo spatio mirum quantum se proficere ajebat, defæcato post primam quietem ingenio, & silentio ac noctis obscuro adjutus, nemine item meditationem interrumpente, quod interdiu contingere non potest. Tum hoc maximè ad valetudinem conferre asserebat: siquidem post primum somnum pituitâ supernatante, si surgas, eam excreare facile est, quæ, si continuato somno redormias, densatur & ventriculo adhæret, tractuque temporis noxios humores gignit, quâ re maxime studiosorum valetudo infestatur. Tum rursus se ad quietem componebat, & quod plerumque priore meditationi ingeniosè inchoaverat, statim ab illo placido somno expergefactus felicissimè perficiebat. Inde se ad munia diurna conferebat. Græcè ac Latinè elegantissimè scribebat, ita ut libri ab eo annotati,

 qui

qui innumeri, diſſipato poſt ejus mortem ampliſſimo illo omnis eruditionis reconditioris penu, per manus ſtudioſorum etiam hodie paſſim volitant, non minùs pulchritudine ſcripturæ legentium oculos capiant, quàm raræ doctrinæ ſparſis ubique notis ingenium paſcant & inſtruant.

Paulo poſt *Ioachimus Perionius* animam de litteraria republica bene meritam Deo reddidit, Cormeriaci in Turonibus natus, & in cœnobio illius loci valde opulento, cui ſtatim à pueris dicatus eſt, educatus & poſtremò mortuus. Is cum Ariſtotelem hactenus à Ioanne Argyrapylo, fideliter potius quàm ornatè verſum, auribus Latinis proponendum ſtatuiſſet, dum elegantioris ſtyli potius quàm veri rationem plerunque Ciceroni ſuo addictus habet, in contrariam ab Argyrapylo reprehenſionem incidit, & Nic. Gruchii viri doctiſſimi & poſtea Gul. Guerentæi cenſuram expertus eſt, & cum Ludovico Strebæo litterariis velitationibus ob eandem cauſam

ſam ſe exercuit. Sed major illi pro Ariſtotele contentio fuit cum Petro Ramo, quem eodem tempore Antonius Goveanus Luſitanus, ſed qui quicquid ad politiorem litteraturam & Philoſophiam ac juris prudentiam illuſtrandam attulit (contulit autem ille plurima) non tam patriæ, quàm Galliæ, in qua bonas litteras à puero imbibit, & ad extremam ætatem permanſit, debebat, elegantiſſimis orationibus, quæ editæ ſunt, oppugnabat. Multa & Perionius ex patribus Græcis pari elegantiâ in Latinam linguam tranſtulit, & lucubrationes plurimas alias, quæ in manibus hominum habentur, publico dedit, quibus nominis famam ſatis inter ſui ævi homines claram ad poſteritatem propagavit.

Eodem anno vivis exemptus eſt *Robertus Stephanus* Pariſienſis Typographus Regius, ſecundum Aldum Manutium Romanum, qui Venetiis, & Ioannem Frobennium, qui Baſileæ eandem artem ſummâ laude exercuerunt, clariſſimus: quos

ille longo ſpatio ſupergreſſus eſt, acri judicio, diligentiâ accuratâ, & artis ipſius elegantiâ: cui ob id non ſolùm Gallia, ſed univerſus Chriſtianus orbis plus debet, quàm cuiquam fortiſſimorum belli ducum ob propagatos fines patria unquam debuit: majuſque ex ejus unius induſtria, quam ex tot præclarè bello & pace geſtis ad Franciſcum decus & nunquam interitura gloria redundavit. Sed migrante ad Deum optimo non ſolùm principe, ſed litterarum fautore ac parente eximio, indigna bene merito de patria cive tot editis Hebraicis, Græcis & Latinis libris gratia repenſa eſt à Theologorum noſtrorum collegio, qui hominem reipublicæ invigilantem & quaſvis æquas conditiones accipere ſe paratum demonſtrantem, non deſierunt laceſſere, donec ille vexationum injuſtarum pertæſus, ex neceſſitate conſilium cepit, & relictâ patriâ Genevam ad extremum ſe contulit; ubi tantâ prudentiâ publicam ſimul & privatam rem curavit, ut quamvis tot adverſitatibus conflictatus

ctatus & incommoditatibus, quæ solum vertentibus necessariò perferendæ sunt; tamen in opere assiduus ad ultimum vitæ spiritum laudabile rei litterariæ adjuvandæ propositum constanter tenuerit, ac tandem cum LVI annum vitæ ageret VII Eid. VIIbr. fatis concessit, foris gloriâ dives, & domi liberis, qui Genevæ manerent, relictâ opulentâ supellectile. Hanc enim legem ingratæ patriæ pertæsus, non tam ejus odio, quam justæ, ut putabat, ultionis ratione in testamento dixit. Itaque Robertus filius, qui eandem artem Lutetiæ summâ cum laude pro facultatibus exercuit, ab hereditate paternâ omnino exclusus est: quam Henricus tanto patre dignissimus filius crevit, qui typographicam non solùm longo tempore itidem postea exercuit: sed multa ad juvandam rem litterariam propriâ industriâ contulit: inter alia edito, æmulatione patris, qui linguæ Latinæ penum olim condiderat, linguæ Græcæ copiosissimo & multorum principum gazis præferendo thesauro.

Idem annus & ante eum abſtulerat prid. Non. Mart. *Lucam Gauricum* Geophanenſem LXXXII annos natum Pauli III familiarem & ipſum Mathematicarum artium callentem, atque illius partis præcipuè, quæ ex aſtrorum poſitu de vita & fortunis hominum decernit.

Aliquanto poſt Mantuæ in patria deceſſit *Io. Baptiſta Folengius* profeſſione Benedictinus, fere ſexagenarius; vir inſigni pietate ac charitate præditus, & moribus, ut ſcriptis politiſſimis; quæ neminem legiſſe unquam pœnitebit. Virum optimum de emendatione Eccleſiæ & ſciſſurâ tollendâ ſerio cogitantem, & Iſidori Clarii Epiſcopi Fulginatis ante quadriennium defuncti, de quo ſuperiùs ſuo loco diximus, veſtigiis eo in negotio inſiſtentem, mors placida in eodem, in quo profeſſus fuerat, cœnobio ad meliorem vitam tranſtulit, III Non. VIIIbris.

Nec prætermittendus videtur *Iacobus Milichius* Friburgi Briſgoiæ honeſto loco natus, Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudiis clarus,

clarus, ſuavitate item morum, quam oris ſpeciei præferebat, omnibus acceptus; qui cum annos complureis Vitembergæ ſummâ cum laude docuiſſet, poſtremo ibidem ex apoplexia obiit IV Eid. IXbris anno ætatis LVIII.

CIↃ IↃ LX.

ALiquanto & ante fatis conceſſit *Ioannes* Cardinalis *Bellaiorum* familiâ non ſolùm antiquitate & ſplendore inter ſuos, ſed meritis erga nomen Gallicum illuſtriſſimâ ortus, Gulielmi Langæi Subalpinæ olim provinciæ proregis, bello & pace clariſſimi viri, & Martini ſuperiore anno VII Eid. Mar. Glatiniaci in Cænomanis mortui, qui itidem militaribus & aliis ſummis negotiis ac legationibus totâ vitâ functus, poſtremo rerum quas geſſerat, aut quibus interfuerat, hiſtoriam prudenter juxta & purè ſcriptam poſteris reliquit, frater, ipſe pariter & pace & bello clarus. Nam à pue-

ro litteris fœliciter institutus ita, ut & scitè Latinè scribere, & versus eleganteis ac generosi spiritûs plenos, quales hodie in manibus doctorum habentur, pangere sciret; inde non tam fortunæ beneficio, quàm merito suo à Francisco maximis negotiis tractandis statim adhibitus, plurimas legationes summâ cum prudentiæ ac præcipuæ fidei laude obivit: etiam ejusdem commendatione in Cardinalium Collegium cooptatus: postea asperrimis temporibus anno hujus XLIV adventante Cæsaris exercitu, cum omnia in Parisiorum civitate, cujus ille Episcopus erat, trepida essent, eam tuendam summâ cum animi præsentiâ suscepit, productoque vallo ac firmis propugnaculis quæ & hodie manent, incomparabili diligentiâ exstructis munivit. Sed Francisco vivis exempto, cui ob fidem cum rara animi magnitudine ac vasta liberalitate, quod cum in omni sua vita, tum maximè plurimis regii sumptûs ædificiis à se exstructis satis declaravit, conjunctam merito secundum

Cardina

Cardinalem Turnonium cariſſimus & ab intimis conſiliis erat, ab invidis, qui in gratiæ locum ſucceſſerant, & præcipuè à Cardinale Lotaringo ejus virtutis æmulo, priſtinæ dignitatis & gratiæ loco motus, vir vel minimæ quantumvis occultæ injuriæ impatiens, Romam ſeceſſit, ubi ætatis prærogativâ Epiſcopus Oſtienſis & ſacri Cardinalium collegii princeps, alioqui virtute ſua majora de rege & S. R. E. promeritus, hoc anno in ſuis ædibus, quas ſibi juxta Diocleſiani thermas exquiſitâ magnificentiâ ſtruxerat, animam de Eccleſia, cujus emendationi ſemper in vita vere & ex animo ſtuduit, ac Gallico nomine optimè meritam Deo tradidit.

Cum hujus gentilis *Ioachimus Bellaius* in diſpari fortuna, cæterum ingenio illuſtri familiâ digno, quod in Poëtica præcipuè exercuit, non illi inficiandus, Kal. Ian. ejuſdem anni annum agens XXXVII ex ſubita nervorum reſolutione Lutetiæ deceſſiſſet. Triſtia, quæ ille, cum in familia agnati Cardinalis Romæ eſſet, fecit, ludi

item ruſtici, & alia ad Margaritam, quæ Philiberto Sabaudiæ duci nupſit, collectanea præcipuè laudantur. In Latinis, quæ itidem Romæ fecit, minùs fœlix fuit.

Ioachimo comitem addemus tertio poſt eum die in patria, cum LXII annos exegiſſet, mortuum *Lælium Capilupum* Mantuanum artiſſima cum eo neceſſitudine conjunctum; qui tantâ fœlicitate Maronis conterranei ſui verſibus detorta ſignificatione luſit, ut Auſonii & Probæ Falconiæ, atque aliorum, qui in ſimili argumento ſe exercuerant, laudem prorſus obſcuraverit, in longe diverſâ à Virgilii mente materiâ verſatus; præter alios uno & altero elegantiſſimo centone de Monachorum origine, vitâ, inſtitutis, ſacrorum noſtrorum ritu, & de morbo Gallico, de quibus rebus nunquam Virgilio venire in mentem potuit, concinnato.

Ia. Bonfadius poſt eum commemorandus venit, Salonæ ad Benacum natus, ſoluto pedeſtrique ſcribendi genere in ſua Latinaque lingua clarus. Sed tantas dotes

diversi mores corruperunt, ita ut ob rem tacendam Genuæ, cujus urbis historiam aliquot annorum scripserat, securi percussus est, adhuc vegetâ ętate & infracto mentis robore, quod ad ultimum usque spiritum servavit, scriptâ sub id elegantissimâ epistolâ, quâ Socratis exemplo animum tranquillum & intrepidum ad mortem se afferre contestabatur.

Nec debito fraudanda est elogio *Loisa Sigæa* Toleti in Carpetanis nata, linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ ad miraculum in hoc sexu perita, ob idque in aulam Reginæ Lusitaniæ ascita, ubi & non modicas opes ex regali munificentia sibi paravit, & Angelam sororem paribus ingenii dotibus excultam habuit; à Ioanne Vasæo luculento rerum Hispanarum scriptore, L. Andrea Resendio, Alvaro Gomecio, & Fr. Luisino certatim laudata, quæ cum Burgis postea domicilium fixisset, à Francisco Cueva marito ante diem superstite ex ipsa filio, elata est III Eid. VIIIbr.

Ut ad alios transeam, *Philippus*

Melanchthon Vitembergæ hoc anno obiit XIII Kalend. Maias, ætatis suæ climactericum diebus LXIII egressus ex hemitritæo senibus ferè lætali. Is Bretta oppido Palatinatûs Rheni natus & Heidelberga oriundus, patrem habuit Georgium usu tractandorum nostro more armorum insignem, ob idque Maximiliano Cæsari percharum, de cætero virum bonum & pium. Cum verò operam litteris daret, in ludo ad Hercyniæ-portam tunc celebri, sub Io. Hungero & Georgio Similero, in Io. Reachilini viri suâ ætate doctissimi familiaritatem venit, qui Philippi nomen, quod habebat ille familiæ significans solum nigrum Germanico sono in Græcum Melanchthonis mutavit, sicuti suum à fumo denominatum ab Hermolæo Barbaro olim in Italia in Capnionem conversum meminerat. Postea exortis in Germania propter religionem turbis, perpetuus M. Lutheri assecla. Longè diversum tamen à doctore suo ingenium ad eam causam attulit. Nam cum omni ope annitere-

anniteretur, ut doctrina quam tradebat, esset perspicua, & ambigua explicarentur, in eo summa alioqui erat altercationum ac rixarum fuga, & maximum tranquillitatis ac quietis studium, ut nisi de necessariis contendendum minimè putaret: nam posse conniveri ad nonnulla, ferri denique multa debere. Qua animi moderatione & æquitate, quanquam exacerbatis tunc temporis summopere omnium animis, maximorum tamen virorum opinione dissidentium amicitiam ac benevolentiam meruit. Certè Franciscus ante XXX annos cognito Melanchthonis peculiari ad sedandas eas, quæ in Ecclesiam invectæ sunt, turbas, studio ex Gulielmo Bellaio Langæo, protinus ad eum Guisa scripsit, misso Barnaba Voræo Fossa, rogavitque, ut quamprimùm in Galliam se conferret, de unione doctrinarum cum selectis aliquot doctoribus acturus, quo pulcherrima illa sacræ administrationis concordia sanciri posset. Biennio vero post Iacobus Sadoletus Episcopus Carpentoratensis cum

Romam

Romam venisset, & in Cardinalium Collegium præter spem ac votum cooptatus fuisset, amantissimas litteras ad eum dedit, quibus significabat ardentissimè expetere se, ut quantumvis locorum spatiis & opinionum dissidentiâ dividerentur, amore & studiorum communicatione in posterum conjungerentur. Sed qui obviam eam humanitatem in exteris ac diversa sentientibus probavit, longè contrariam fortunam inter suos & eandem doctrinam profitenteis expertus est. Nam suborta repente in Germania factio eorum, qui ut se flagrantiore in religionis causa studio versari demonstrarent, omnem conciliationis & concordiæ ineundæ mediam viam aspernabantur, & cæteros paci studenteis, quos Adiaphoristas & Interimistas nominibus ad odium compositis vocabant, ut desertores & in pietatis negotio tepidos damnabant. Horum antesignani fuerant Matthias Flacius Illyricus, & Nic. Gallus, quibuscum totâ vitâ viro tranquillitatis alioqui cupido certa-

men

men fuit. In quo proinde post mortem reprehensa est à suis ea quam dixi, rixarum & contentionum fuga: præterea nimium Philosophiæ & Mathematicarum artium studium, atque illius præsertim partis, quæ ex astrorum positu ac concursu de vita ac fortunis hominum decernit. Verum de iis omnibus diligenter & ornate admodum perscripsit Ioachimus Camerarius Melanchthoni totâ vitâ conjunctissimus, cujus accuratam narrationem legisse ut mihi jucundum fuit, ita ab iis qui Ecclesiæ paci consultum cupiunt, eam cognosci non inutile existimo.

Complureis filias reliquit Melanchthon, ex quibus Anna elocata est *Georgio Sabino* Brandeburgensi, Poëtæ inter Germanos non exigui nominis, qui à Petro Bembo, Gaspare Contareno Cardinalibus, Baptista Egnatio, Ludovico Becatello Italis, dum viveret, magno in precio habitus, hoc eodem anno socerum secutus, Francofordiæ ad Viadrum, ubi larem fixerat, decessit Kal. Xbris, ætatis suæ LIII.

Cum *Petrus Lotichius Secundus* multùm eo junior, nam XXXII tantùm annum attigerat, Solitariis oppido ad Drusi montem sito in Hanoviæ ditione natus, omnium meo quidem judicio, qui secundum Eobanum Hessum in Germania Poëticam attigerunt, præstantissimus, Heidelbergæ Kalend. IXbris, ultimum vitæ diem clausisset. Hujus poëmata triennio post auctoris mortem à Ioachimo Camerario collecta & publicata sunt, fidem apud posteritatem factura, quid ab illo expectari debuerit, si longiorem ei vitam Deus annuisset.

Hos omnes præcessit mense Ian. mortuus *Nicol. Gerbelius* Phorcensis vir optimus & pariter doctrinâ ac suavitate morum excellens, decrepitâ ætate senex, & qui juris scientiam olim Viennæ in Austria professus, summâ studiorum consensione cum Io. Cuspiniano viro suâ ætate doctissimo vixerat, dein Argentinam, ubi vivere desiit, se contulerat.

Ut Gerbelius annum fere inchoavit, ita finivit

finivit *Ioannes Driander* Vetteris in Catorum ditione natus, Medicinæ & Mathematicarum artium professor eximius, quas & doctissimis scriptis illustravit, & in Astronomicis multa adinvenit, novis instrumentis fabricatis, aut ab aliis inventa fecit meliora, ac tandem Marpurgi, ubi diu docuit, XIII Kalend. Ian. ad alteram vitam migravit.

CIↃ IↃ LXI.

SUb id *Gabriel Faernus* Cremonensis ultimum diem clausit, immaturâ morte ereptus, qui in Pii IIII P. M. dum adhuc Cardinalis esset, & postea in Caroli Borromæi non minùs nobilitate generis, quàm morum sanctimoniâ illustrissimi Cardinalis, familiâ politioris litteraturæ studia excoluit, & exactâ in scriptis veterum ad codices MS. examinandis diligentiâ ac sollertiâ excelluit, quod quædam Ciceronis post obitum ejus publica-

ta, & Terentius inprimis aliquot post annis à P. Victorio summo Faerni admiratore editus posteris testabuntur; non mediocrem etiam à studiosis gratiam promeritus fabellis Æsopicis vario carminum genere expressis; majorem initurus, si Phædri cujus sive imitatione sive æmulatione luserat, nomen aut non dissimulasset, aut scripta quę legerat, & penes se habebat, non suppressisset. Verùm ita fatis comparatum erat, ut quem Faërnus nobis invidit, eum viri optimi & undecunque doctissimi fidei ac industriæ deberemus, qui ad alia innumera, quibus posteritatem devinxit, beneficia hunc cumulum adjecit, & veteratorem aulicum in tenebris apud Italos delitescentem nactus recensuit, ac paucis ante mortem diebus luce donavit.

Circa hęc tempora, nam de loco & die obitûs mihi quantumvis diligenter indaganti minimè certo constat, finem vitæ ad publica commoda devotæ imposuit *Arnoldus Arlenius* in Campinia Atuaticorum regione trans Diesam amnem, qui Sylvam seu

ſeu Boſcum-Ducis alluit, vico ignobili natus, indeque nominè ingenioſè ab ipſo effecto Peraxylus nuncupatus, qui, quantam Gabriel Faërnus in Latinis ſcriptoribus caſtigandis ſollertiam, tantam in Græcis adhibuit. Huic vel editione Ioſephi Græcâ multum poſteritas ſemper debitura eſt, quam ille ex V. Illuſtr. Didaci Hurtadi Mendozæ tunc apud remp. Venetam oratoris optimo exemplari publico dedit, adjectis etiam libris contra Appionem, qui nuſpiam alibi reperiuntur; Mendozâ dein, cui tunc navabat operam, ex Italia decedente ad Baſileam amęniſſimum litteratorum ſeceſſum ſe contulit, ubi induſtriam per aliquot annos exercuit, & Henrici Stephani operâ fœliciter uſus eſt. Viri de litteris tam bene meriti memoriam quamvis incerto tempore ac loco heic renovare, quàm omnino indictum præterire ſatius viſum eſt.

Meruit & qui in juventute erudienda tam gnaviter laboravit, ne indictus prætereatur *Melchior* ſeu *Melior Volmarius* Ro-

tovilla Helvetiis fœderatâ civitate Longavillanorum ducum nostratium ditionis natus, qui Lutetiæ bonis litteris sub Iacobo Fabro Stapulensi imbutus, Avarici Biturigum utramque linguam Margaritæ Navarræ reginæ stipendiis magnâ cum laude professus est, ubi & jurisprudentiæ sub Andræa Alciato operam dedit, inde in Germaniam ab Ulrico Virtembergico duce Tubingam evocatus, diu in eâ scholâ jus & Græcos auctores interpretatus est, ac tandem rude donatus Isenam se contulit, ubi vir bene de re litteraria meritus, & magnâ studiorum consensione cum Ioachimo Camerario conjunctus, hoc anno decessit, cum LXIIII vitæ attigisset.

CIↃ IↃ LXII.

HOc eodem anno prid. Eid. IXbris, Tiguri *Petrus Martyr* Vermilius Florentinus, ingenio & eruditione inter suos præstans, variâ fortunâ ac diversis peregrinationi-

grinationibus totâ vitâ jactatus, qui nuper è Gallia, ubi colloquio Possiaceno interfuit, domum redierat, anno climacterico suo in vivis esse desiit, relictâ unicâ filiâ, quæ ad extremam inopiam ac propè mendicitatem ob flagitiosam mariti vitam redacta, Senatûs Tigurini memoriæ patris eam gratiam rependentis benignitate sublevata est.

Ante Vermilium *Bonifacius Amerbachius* Basileæ natus I. C. anno ætatis LXVII in patria obiit Kalend. Maii.

Nec multo post fatis concessit *Iacobus Hollerius* in Stampensi agro haud procul à Lutetia ortus, Philosophiæ & Medicinæ studiis comprimis clarus, ad quam homo dives, & quæstui, qui uberrimus ex ea professione in populosâ urbe colligitur, minùs intentus acerrimum judicium attulit, ut deploratos morbos, & ob festinationem ab aliis per vicos vagâ mulos cursitatione fatigantibus minùs cognitos summâ fœlicitate curaverit. Scribendo etiam magnam temporis partem impêdit, sed in morbum

ex

ex mœrore publico contractum incidens, extremam manum illis immortalitate dignissimis scriptis imponere non potuit, quæ aut à plagiariis suppressa, aut postea, sed incuriosè, edita sunt, magno famæ tanti viri, sed majore reipublicæ dispendio; quod filium cognominem ejus aliquoties postea conquerentem audivi, qui unus, quo erat admirabili ingenio, & omni litteraturæ ac scientiarum genere egregiè instructo præditus, eam jacturam sarcire potuit, quamvis in dispari professione versatus: & procul dubio est, si otium ei à publico munere, & peregrinationibus longinquis, quibus bonam ævi brevis ipsi à Deo concessi partem contrivit, quin scripta paterna multo meliora & ad auctoris mentem castigatiora publico daturus fuerit.

Ante Hollerium *Gabriel Fallopius* Mutinensis Patavii, ubi publicè profitebatur, obiit, VII Eid. VIIIbris, immaturâ morte, quippe cum tantum XXXIX annum exegisset, cum Philosophiæ ac cœterarum

doctrina-

doctrinarum, tum rei anatomicæ inprimis, variis obſervationibus locupletatæ, atque adeo utriuſque Medicinæ laude ornatiſſimus, quam & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit.

Baſſianus Landus Placentinus in Patavina Academia profeſſor, cujus extat de antiquis imaginibus commentarius, miſerabili caſu hoc anno periit, prid. Kalend. IXbris à ſicario vulneribus aliquot confoſſus.

Annum clauſit mors *Bartholomæi Cavalcantii* antiquâ patritiâ familiâ Florentiæ anno CIↃ IↃIII nati ex ea gente quæ olim Vidum Franciſco Petrarchæ ſui ſæculi excellentiſſimo Poëtæ ac Philoſopho viro optimo coætaneum dedit. Nam hujus ad illum carmina etiamnum extant. Bartholomæus autem ob libertatem patriâ profugus, à puero egregiâ optimarum ſcientiarum cognitione inſtructus, conſilio & eloquentiâ præclaram maximis in rebus Paulo III & Octavio Farneſio ejus nepoti, ſed maximè Henrico II in Senenſium

causâ, dum Francorum armis pristinam libertatem tueri afflictæ reipublicę licuit, operam navavit, ac magna negotia ubique summâ cum prudentiæ & integritatis laude gessit: demum secutâ inter Gallos & Hispanos pace, otii litterarii cupidus Patavium secessit, ubi studiis & vitæ finem fecit V Eid. Xbris, ad Francisci à Ioanne filio sepultus. Præcipua ingenii sui reliquit monumenta; de Rhetorica libros VII, & de optimæ reipublicæ statu commentarium quem Fr. Sansavinus auctori posthumum publicavit.

CIↃ IↃ LXIII.

APud nos sed dispari fato in vivis esse desierunt tres magni nominis in litteris viri; *Ioan. Brodæus* Cæsaroduao primariâ Turonum urbe familiâ honestâ natus, qui tyrocinium litterarum cum Petro Danesio fecerat, & in Italia Iac. Sadoleti, P. Bembi, Bap. Egnatii, Pauli Manutii

persami-

persfamiliaris, ad puriores litteras Philosophiæ, Mathematicarum artium ac sacræ linguæ non mediocrem cognitionem adjecerat: dein in patriam reversus quietæ vitæ sed non otiosæ se dedidit, quod multæ reconditæ eruditionis lucubrationes abunde testantur, quas vir bonus procul ab omni ambitione ac ostentatione positus alienis potius quàm suis auspiciis publicari passus est, eo rariore modestiæ exemplo, quòd nostro seculo homines non solùm ex opibus, Magistratibus & aliis honoribus, sed etiam ex litteris indignâ vanitate gloriolam aucupantur; tandem apud B. Martinum, cui Collegio nomen dederat, in litteris assiduus consenuit, & sexagesimum annum prætergressus ineunte anno placide ad Deum migravit.

Eo junior, nam vix annum trigesimum tertium excesserat, *Stephanus Boetianus* Burdigalensis Senator Sarlati, quod erat illi natale solum, in Petrocoriis ultimum vitę diem clausit, admirando vir ingenio & multiplici eruditione cum exquisitâ facun-

diâ conjunctâ insignis, quam ad civilem scientiam ferè inflexerat, rarâ & supra ætatem prudentiâ rebus maximis gerendis par, nisi longius ab aula positus & præmatura morte ereptus esset, quæ & divini hujus ingenii fructus publico invidit; Michaelis Montani tamen singularis ejus amici curâ factum est, ut non omnis mortuus sit, publicatis aliquot scriptis posthumis, quæ elegantiam miram & sensuum reconditorum acumen sapiunt: nec Anthenoticon ejus sileri debet, cujus longe aliam in rem, quàm ex mente auctoris postea evulgati, honorificam mentionem suo loco fecimus.

Hanc litterarum jacturam cumulavit *Arnoldi Ferroni* itidem Senatoris Burdigalensis nondum plane quinquagenarii mors, qui patrias leges, ut bonum civem & præstantissimum jurisconsultum decuit, doctissimis scriptis illustravit, & historiam Gallicam secundum Paulum Æmilium ad excessum Francisci I prosecutus est, multaque alia scripsit, quæ memoriam

ejus apud posteros commendant, & Attici nomen ipsi à doctissimo undiquaque nostrâ ætate Iul. Cæsare Scaligero attributum conciliaverunt.

Nec silentio sepeliri debet *Io. Baptista Gellus* Florentiæ natus, conditione longè ingenio inferiore, quippe calcearius, qui licet nullis litteris Latinis tinctus, Academię Florentinę alter conditor & magnum ornamentum exstitit, & linguâ patriâ dialogos Luciani æmulatione, sed majore prudentiâ & moderatione scripsit, quanquam libertate cœlo illo adhuc incognitâ alicubi impegisse creditus, ideoque censurâ notatus; tandem hoc anno jam senex naturæ debitam persolvit, ad Mariæ Novellæ in monumento suorum conditus.

Ex eadem pæne officina prodiit *Vuolfangus Musculus* Dusæ Lotaringiæ in finibus Alsatiæ oppido natus, magni inter suos nominis Theologus, qui Monasticam olim, dein abjecto cucullo Protestantium doctrinam professus, vitam aliquando opere manuario textrinam exercens tole-

ravit; postea seriò animum ad litteras jam ætate provectior appulit, in quibus improbo labore tantum profecit, Martini Buceri, quantum licuit, sectator assiduus, ut famam concionibus quæsitam etiam laboriosissimis editis in S. Scripturam commentariis auxerit. Argentinæ primùm & Augustæ Vindelicorum, ac postremò III Kalend. VIIbris, Bernæ in Helvetiis, ubi ultimum diem anno ætatis LXVI clausit, pastoris munere defungens: quem ad nomen ipsius ludens quidam non musculum aut ex murium famelicorum, qui felium ungueis timent, numero esse dixit, sed ex his potius, qui catos rapaces territarent.

Eodem & hoc anno fatis concesserunt *Sebastianus Castalio* Allobrox, & *Henricus Glareanus*; & hic quidem summus olim D. Erasmi amicus, & Musices scientiâ clarus Friburgi Brisgoiæ, ubi profitebatur, cum rem literariam diu voce & scriptis, quantum ea tempora ferebant, juvisset, annum agens septuagesimum quintum, animam Deo reddidit. Castalio vero cum

purio-

puriorem linguarum cognitionem ad Theologicam ſcientiam adjunxiſſe ſe putaret, impuras manus multorum judicio ad ſacra tractanda attulit, cum à rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt, à Gallicis & Helveticis Eccleſiis, quarum alioqui doctrinam amplectebatur, in quibuſdam diſsidens; & Bernardino Ochino ſegregi, cujus & dialogos Latinos fecit, præcipuè in Polygamia aſtipulari creditus; unde pleraque contraria inter eos ſcripta emanarunt: tandem Baſileæ non ita ſenex, quippe vix annum XLVIII ſupergreſſus, IIII Kalend. Ianuar. obiit ex lue peſtilenti, quæ hoc anno vehementer per totam Germaniam graſſata eſt, adeo ut Francofurti, Norimbergæ, Magdeburgi, Hamburgi, Gedani, & per civitates Vandalicas ac maritimas autumno uno CCC hominum CIↃ contagione abſumpta morerentur.

Paulò

CIↃ IↃ LXIIII.

PAullò antè, XIII Kalend. Iun. *Io. Calvinus* Novioduni in Veromanduis natus, acri vir ac vehementi ingenio, & admirabili facundia præditus, tum inter Proteſtanteis magni nominis Theologus, cum ſeptennium integrum variis morbis ac cruciatibus conflictatus eſſet, nec minùs propterea in munere ſuo aſsiduus, aut à continua ſcriptione abſtineret, tandem ex reſpirationis difficultate Genevæ, in qua XXIII annos docuerat, obiit, cum pæne quinquageſimum ſextum vitæ annum expleviſſet.

Poſt eum *Martinus Borræus* Cellarius Stugardiæ in Suevia natus, vir doctiſsimus, & præter Theologica aliis etiam ſcriptis editis clarus, Baſiliæ peſte correptus moritur. V Eid. VIIIbris, cum annos LXV exegiſſet.

Quà ex eadem lue VI Kalend. Xbris Tiguri,

Tiguri, ubi profitebatur periit *Theodorus Bibliander* vir multijugæ eruditionis, valde ſenex, cui in munere ſuffectus eſt Io. Gul. Stukius, ille quidem admodum tunc juvenis; ſed quem præter exquiſitam in illa ætate eruditionem, ſingularis morum probitas apprime commendabat; cujuſque in colenda Chriſtianiſſimorum regum majeſtate eximia ſemper etiam deploratiſſimis temporibus fides exſtitit. Novæ Bibliorum editioni anno CIↃ IↃ XLIII Tiguri publicatæ, quam Leo Iudæ inchoaverat, & moriens ut opus perſequeretur, collegis in fidem religioſe adactis tranſcripſerat, ultimam manum impoſuit Bibliander Chunrandi Pellicani, & Petri Cholini Tugienſis Græcæ linguæ peritiſſimi operâ adjutus: quam tranſlationem in ſua editione biennio poſt ad veterem adjecit Robertus Stephanus, ſuppreſſâ eorum, qui in illa laborarunt, mentione; & Hiſpani Theologi diu poſt recognitam per Gulielmum Rovillium denuo Lugduni excudendam curaverunt. Quod eo

commemorandum duxi, ut versionis tanti apud nos & Hispanos ipsos factæ origo cognosceretur, & insigne documentum extaret; quid utilitatis ex adversarium libris & industria, si semotis odiis charitatem & æquitatem induamus, ad Dei gloriam capi possit.

Hoc itidem anno *Pet. Franciscus Iambularius* homo sacris addictus, Latinis, Græcis, & Hebraicis litteris eruditus, qui multa ad linguæ Etruscæ illustrationem conscripsit, & novissimæ antiquitatis historias Italicas, quæ postea editæ sunt, exorsus, morte præpeditus ultra annum salutis CIↃ CC prætexere non potuit, Florentiæ fatis concessit.

Nec multo post *Andræas Vesalius* Bruxellis in Brabantia natus præstantissimus medicus, & opere de fabrica humani corporis edito clarissimus, cum Hispaniæ pertæsus petito à Philippo commeatu, cum Iacobo Malatesta Ariminensi copiarum Senatûs Veneti duce in Cyprum navigasset, & ut voti in gravissimo morbo, dum

dum in aula Philippi commoraretur, nuncupati se religione exsolveret, inde Hierosolyma profectus esset, à Senatu Veneto honorificis stipendiis oblatis, ut Patavii profiteretur, evocatus, dum redit, adversis Venetis, ad Zacynthum insulam delatus in loco solitario vitam miserabiliter finiit, Eid. VIIIbris cum vix quinquagesimum ætatis annum attigisset, ab aurifabro, qui forte illuc paulò post appulit, agnitus, & ne esca feris fieret, vili funere conditus.

Nec silentio sepeliri debet *Gulielmus Morellius* Iuliano fano in Caletensi Neustriæ pago in re tenui natus. Is propriâ industriâ & in aliena juvanda rei litterariæ sedulam quamdiu vixit operam navavit, & accuratâ linguæ Græcæ peritiâ meruit, ut cum Hadrianus Turnebus grande nostri seculi ornamentum Typographiæ Regiæ Græcę, quam, ut publico prodesset, minime dedignatus fuerat, in regiorum professorum collegium cooptatus curâ se abdicasset, & quæreretur dignus tanto mu-

 nere

nere ſucceſſor, à Turnebo ipſo nominaretur; integrumque novennium edendis innumeris libris ac præcipuè Græcis conſumpſit, ac tandem eleganti admodùm Demoſthenis editione adornatâ, laboribus confectus Lutetiæ defecit XI Kal. Mart.

Annum clauſit *Ioan. Buteonis* mors, qui Orontii Finæi Mathematicarum artium apud nos inſtauratoris primùm diſcipulus præceptorem longè ſuperavit, cum eo de quadratura circuli acerbe poſtea digladiatus: is loco nobili natus, & ut perhibetur è Germania oriundus, ad exonerandam ut fit familiam, quæ XX liberorū prole gravabatur, vitam Monaſticam in S. Antonii Viennenſis cœnobio à puero profeſſus fuerat, ubi in otio vir ad litterarum ac ſcientiarum illarū pręcipuè ſtudia natus multa ſcripſit, partim dum viveret, publicata, partim ab opicis furibus ſuppreſſa; multa itidem adinvenit; inprimis in Muſicis inſtrumentis & machinis novis fabricandis ingenioſus; cujuſmodi compluria induſtriæ ſuæ monumenta vir ab omni ambitione alienus

qui

qui à labore & meditatione nunquam cesſaret, totâ vitâ, quæ illi ad LXXV annum uſque à Deo prorogata eſt, edidit, cumque ob turbas civileis, quæ toto regno ſed maximè in Delfinatu totum ſuperius triennium ſævierant, relicto ægre Muſæo ſuo Romamum conceſſiſſet, procul à libris ex mœrore tandem contabuit.

Michael Angelus Bonarota Florentinus Romæ deceſsit, cum ætatis annum XC ageret, noſtrâ ætate atque adeo poſt priſcos Græcos picturæ ſtatuariæ & Architecturæ præſtantiſsimus artifex, cujus nomine ut paſsim orbis perſonat, ſic pleriſque locis, ſed Romæ & Florentiæ præcipuè, ſtupendi operis monumenta ejus viſuntur. Huic initio cum Raphaële Urbinate pictore famoſiſsimo æmulatio fuit, ſed mortuo in ætatis flore Raphaële, qui ad majora aſpirabat, longevæ ætatis beneficio facile principatum in præſtantiſsimis illis artibus adeptus eſt, & ad mortem uſque tenuit, pleriſque ſuæ induſtriæ admiratoribus, raris æmulis aut imitatoribus relictis. Huic

Cosmus, qui summè his artibus delectabatur, tantum honorem habuit, ut ejus corpus Româ Florentiam transferri curaverit, ut in patria sepeliretur; id summâ pompâ peractum, deducentibus funus XXC præstantissimis artificibus ad B. Laurentii ædem: ubi à Benedicto Varchio publicè laudatus & conditus est, quæ omnia quia fuse Georgius Vasarius Arretinus præstantissimus pictor & architectus singulari libro complexus est, vitâ ejus diligenter perscriptâ, & enumeratis operibus, de iis plura dicere supersedebo.

CIↃ IↃ LXV.

NEc minus hominibus litterarum doctrinâ claris hic annus funestus fuit. Nam *Alexander Alesius* Scotus magni inter suos nominis Theologus Lipsiæ, in qua XX annis docuerat XVI Kal. April. decessit.

Et post eum *Ioan. Mathesius* Roclicien-

sis

ſis Non. VIIIbris, qui in valle Ioachimica diu docuit, regione metallis fœtâ: & ex ea occaſione de foſſilium natura multa linguâ Germanicâ ſcripſit; cum vero mane concionem de filio viduæ in vitam à morte revocato habuiſſet, & in futura vita ſingulos pios parentibus ſuis & amicis reſtitutum iri, & ſe mutuò agnituros Lutheri exemplo docuiſſet, tribus poſt concionem horis pari fere cum Luthero morte ereptus eſt, haud ita ſenex, quippe qui vix LI annum exceſſiſſet.

Eo ſenior, atque adeo octogenarius *Io. Langius* Leobergæ in Sileſia natus, medicinæ artis præſtantiſſimus, quam & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, Heidelbergæ, ubi apud Palatinos VII viros diu principem locum tenuit, XI Kalend. Vtil. obiit.

Extremum tandem annum clauſit *Conradi Geſneri* Tigurini mors omnibus ſeculis deploranda, & eo magis quòd vix annum ætatis XLIX attigerat, viri longiſsimâ vitâ digniſsimi, & quam exegiſſe videbitur iis, qui ætatem ejus ex librorum,

quos

quos plurimos ac utilissimos confecit, industriâ suâ illustravit & edidit, non ex annorum, quos vixit, numero metientur. Is primum studiorum tyrocinium in Gallia Lutetiæ Parisiorum & Avarici Biturigum fecit; inde in omni litterarum genere excellens, & linguæ Latinæ ac Græcæ peritissimus, peragratâ Italiâ in patriam rediit, ubi Medicinam fecit, & Philosophiam publico stipendio professus est, cujus eam præcipuè partem, quæ historiam naturalem spectat copiosissimis scriptis explicavit; antiquorum quoque complura monumenta, præcipuè Theologorum, primus in lucem edidit. His accessit pręter doctrinam, quæ in eo eximia fuit, incredibile juvandæ reipublicæ litterarię studium, quo usque ad ultimum vitæ spiritum flagravit, cum lue pestiferâ correptus, jam viribus linquentibus, ad ordinandam non rem domesticam, sed supellectilem librariam è lecto surgeret, ut quæ vivus publicare non potuerat, ita disponeret, ut post mortem ejus ad reipublicæ utilitatem edi possent.

ſent. Huic ſtudio, abjectâ omni aliâ, præterquam ſalutis æternæ curâ, intentum, & pluſ quám vires ferre poterant diligenter incumbentem, cum vaſa ſe colligere quaſi diſceſſurum amicis diceret, mors eum, qui nunquam otioſus in vita fuerat, oppreſſit, & extremos optimi viri labores reipublicæ quaſi invidere viſa eſt; qui tamen non omnino perierunt. Nam eo mortuo ex illius bibliotheca ita ab eo ordinatâ, tanquam ex locupletiſſimo penu pleraque poſtea in lucem prodierunt, curante Gaſpare Volfio, quæ deſiderium ipſius cottidie renovant. Mortuum laudavit Ioſias Simlerus, & elegantiſſimo carmine Theodorus Beza, quo inter alia Naturam eum tanquam fidum ſuorum ſacrorum antiſtitem plorare dicit, mutam deinceps futuram, niſi ipſe mortuus loquatur.

Annus & hic abſtulit apud nos maximum hujus ætatis ornamentum, *Hadrianum Turnebum* Andelii ad Sequanam familiâ nobili, ſed in tenui re natum, virum omni virtutum omniumque litterarum

genere inſtructiſſimum, qui politioris initio litteraturæ Græcæ ac Latinæ, dein Philoſophiæ in ſchola Pariſienſi profeſſor regius plurima raræ eruditionis monumenta edidit, & præmaturâ tandem morte ſtatim poſt edita illa æternitate digna adverſaria, ſummâ omnium ordinum, ad quos univerſos unius mors pertinere viſa eſt, mæſtitiâ, rebus humanis exemptus eſt prid. Eid. Iun. cum tantum LIII annos vixiſſet. Hujus corpus quo die mortuus eſt, uti teſtamento mandaverat, paucis amicis illud deducentibus, nullâque funebri pompâ, in ſcholaſticorum cœmiterio horâ nonâ veſpertinâ conditum eſt, ubi ſepulturæ locum delegerat; quo etiam loco præſtanti doctrinâ medicum Iacobum Silvium paucis ante annis ſepeliri voluiſſe meminerat. Quemadmodum boni omnes ac litterati vivum ſummopere dilexerant, ita in eo mortuo laudando incredibili æmulatione certarunt; & quidem ei Io. Auratus, Dionyſius Lambinus profeſſores Regii, Petrus Ronſardus, Germanus, Valens P. P. Ioan.

Paſſera-

Passeratius, Alfonsus Delbexeus, qui postea Episcopus Albiensis fuit, Nicolaus denique Vergetius, Angeli illius Cretensis elegantiorũ Gręcæ linguæ characterum ad omnem admirationem & oculorum jucunditatem formatoris F. diversâ parte Io. Mercerus, Lucas Fruterius, alii, epitaphiis carminibus parentarunt; & ut erant tunc scissa ob religionis novos motus studia, mortuum quisque vindicabat, dum simul & antiquæ religionis retinentes, & novam profitentes, ad utras partes moriens ille inclinasse diceretur, multum momenti partibus suis allaturum fuisse credunt.

Paulò post mense VIIIbr. *Antonius Goveanus* debitum naturæ persolvit. Is genere Lusitanus, sed adoptione (sicut ipse, quo erat animi candore, palam profitebatur) Gallus, cum puer & litterarum rudis, ab Andrea Goveano patruo in Galliam adductus esset, tantâ fælicitate in humanioribus studiis ingenium exercuit, ut nemo puriùs Latinè scriberet, nemo versus ele-

 gantiùs

gantiùs pangeret. In Philoſophia vero Ariſtotelica tantum profecit, ut ejus patrocinium jam tum in illâ juvenili ætate contra Petrum Ramum ejus importunum oppugnatorem magnâ cum laude ſuſceperit: poſtea quaſi omnium ſcientiarum æquè capax ingenium illius eſſet, quodque ſinguli in ſingulis, ipſe unus in omnibus præſtare poſſet, ab Æmilio Ferreto, qui Avenione jus civile docebat, cum Lugduni privatis ſtudiis intentus deſideret, ad illius perplexæ ſcientiæ profeſſionem evocatus eſt, in qua rurſus exiguo tempore tantos progreſſus fecit, rationem veram enodandarum ex antiquitate ſpinoſarum juris quæſtionum ſtatim animo complexus, ut Iac. Cujacius, cum Toloſæ ante undecim annos in Ulpiani titulos ſcriberet, jam tum teſtatum reliquerit, Goveanum ex omnibus juris Iuſtinianei interpretibus, quotquot ſint aut fuere, unum eſſe, cui, ſi quæratur quis excellat, palma deferenda ſit. Certè ex Cujacio ipſo, cum Valentiæ ei operam navarem, & poſtea ſæpius audivi,

vi, ita se de Goveano semper sensisse, & laudabili ęmulatione tunc veritum esse, ne is speratam in ea professione gloriam, quam assiduo studio & longâ vitâ omnium consensu postea meruit, sibi præriperet. Igitur Goveanus Tolosæ primùm, dein Divonæ Cadurcorum, postea Valentiæ & Gratianopoli jus civile magnâ auditorum frequentiâ professus est, impolitorum interpretum, quorum tantus numerus est, mole rejęctâ, & ardente apud nos bello Galliâ, quam summopere dilexerat, in Italiam pulsus. Et in aula Philiberti Sabaudiæ ducis Margaritæ commendatione honestum otium nactus (nam & in privatum Principis consilium Senator cooptatus est) morbo ex immodico, ut fertur, peponum usu contracto, Augustæ Taurinorum decessit; unus rarâ hoc ævo gloriâ communi doctorum suffragio hoc adsecutus, ut & Poëta elegantissimus, & summus Philosophus, & præstantissimus juris interpres simul haberetur: quod cœlo Gallico, in quo à teneris probè institu-
 tus

tus fuerat, vir gratus acceptum referri volebat.

Gulielmum Philandrum Castellione ad Sequanam oppido natum, qui & hoc anno obiit, pæne prætericram, quando is antequam è vivis excederet, se quodammodo ipse silentio sepelivit; quanquam scripta egregia, quæ in Vitruvium, cum Romæ in Georgii Armeniaci tunc Francisci I oratoris, dein in Cardinalium collegium cooptati familiâ esset, publicavit, satis plenam fidem apud omneis faciunt, qualis is quantusque fuerit, & quid denique in antiquitate Romana & politiore litteratura illustranda, quæ tunc primum extolli incipiebat, tum in omni scientiarum genere, & in Mathematicis præcipuè præstare potuerit, si non aliam à pristinâ diligentiâ & sobrietate vivendi rationem postea instituisset. Verùm is postquam magno ordinum urbis consensu civitate Romanâ donatus est, cum relictâ Italiâ in Galliam reversus esset, non solùm reliquum vitæ tempus abjectis studiis inutiliter elabi, sed

etiam

etiam ſegnitie ingenii acumen hebeſcere paſſus eſt; & tandem ſui oblitus, & amicis, quibus ob raram eruditionem notus erat, obliviſcendus, Toloſæ non tam ſenio effetus quàm otio marcidus deceſſit X Kalend. Mart. anno ætatis LX, à munifico Mæcenate civitatis Archiepiſcopo præteritorum memoriâ meritorum ad B. Stephani in porticu ſepultus; multa ille de pictura & ſtatuaria antiquorum pollicitus, multa & in Mathematicis commentatus fuerat, quæ etiam ſe Toloſæ vidiſſe quidam ſcripſere, quàm ſummo ſtudioſorum deſiderio ſemper expetita, tam magno eorundem detrimento hactenus ſuppreſſa. Quod ſi verum eſt, profecto exorandos plagiarios illos cenſerem, ut tanti viri ſcripta, potius ſuppreſſo auctoris nomine & alieno ſubſtituto, quod P. Gillio accidiſſe diximus, ederent, quàm tam eximiis & in publicum utilibus laboribus rem litterariam defraudarent.

Abſtulit & hic annus *Kyriacum Strozzam* Florentinum patricium, qui ex morbo

bo calculi ſtudioſis familiari, VIII Eid. Xbris anno climacterico ſuo deceſsit Piſis, ubi XX annos Ariſtotelem interpretatus eſt, cum VIII annis ante Bononiæ profeſſus eſſet, & rurſus antea admodùm juvenis in Academia Florentina legiſſet ac diſputaſſet, ut illic mos viget, ac poſtea linguam Græcam & Philoſophiam ſummâ cum laude docuiſſet. Libris Politicorum VIII, qui extant, nonum & decimum Græcâ linguâ conſcriptos adjecit, quibus tanti viri ſtylum & mentem exprimere conatus eſt; libros etiam de prima Philoſophia ex Arabum commentariis ſupplevit.

His merito ſuo adnumerabitur *Ioan. Grollierius* honeſtiſsimâ ac perantiquâ familiâ Lugduni natus, ex qua orti Imbertus Solanus & Antonius Serverius Grollerii gentiles, qui turbulentis his ultimis Galliæ temporibus regni cauſam regiumque nomen conſtantiſsimè tutati ſunt. Ioannes is eum ab adoleſcentia litterarum guſtum & ncredibilem amorem hauſiſſet, in

in eo jùvenili æstu artissimam cum Guil. Budæo jam sene amicitiam coluit, et admirandum ejus de Asse opus, cum Gallicarum copiarum in Mediolanensi principatu quæsturam administraret, Venetijs ab Aldo Manutio excudendum curavit, anno hujus seculi XXII, tantumque obviâ in litteratos humanitate homo Gallus in Italia meruit, ut quo quisque doctissimus tunc erat, ita in ejus benevolentiam se insinuare approperaret. Itaque Lud. Cœlius Rodiginus, vir ævi illiuis totâ Italiâ celeberrimus, antiquas lectiones suas illi, tanquam eximio litterarum fautori, et secundum Principem suum munificentissimo litteratorum Mœcenati, nuncupavit; exclusis dein Italiâ Gallis, in regno Quæsturam, cum id munus nondum numero viluisset, summâ fide ac diligentiâ exercuit, et in eodem litterarum amore perseveravit, insigni numorum antiquorum, et optimæ notæ librorum supellectile comparatâ; quos nullis sumptibus parcens, vir munditiæ

& elegantiæ in omni vita assuetus, pari elegantia ac munditia ornatos ac disposi-tos domi tam curiosè asservabat, ut ejus bibliotheca cum bibliotheca Asinii Pollionis, quæ prima Romæ instituta est, componi potuerit: tantaque copia librorum fuit, ut post tot ejus in amicos largitiones, tot varios casus, quibus illi jactati ac male habiti sunt, iustructiores bibliothecæ, quæ hodie Lutetiæ et aliis regni locis visuntur, non alio majore, quã à Grollerianis libris ornamento commendentur. Numi ærei, qui optimi, cum Lutetia in Provinciam migrassent, jamque in eo essent ut in Italiam exportarentur, regis Christianissimi curâ effectum est ne tanto thesauro Gallia defraudaretur, eosque grandi precio redemptos in Musæum suum cum aliis prisci ævi monumentis inferri mandavit. Grollerius autem dum serio rerum pulcerrimarũ studio occupatur, homo alioqui innocentissimus, ab invidis insidiose accusatus, de fortunis, ac pęne de capite discrimen adiit; ac fortasse

taſſe oppreſſus fuiſset, niſi innocentiam ipſius, quâ ſolâ nec ullâ præterea amicorum ope imploratâ, ille confidebat, non indefenſam reliquiſſet Chriſtophorus Thuanus parens meus, qui ſummâ quâ pollebat in ſenatu et in urbe auctoritate hactenus uſus eſt, vt bonos à calumniatoribus, tenuiores à potentioribus, doctos ab ignorantibus opprimi non pateretur. Tandem in eodem vitę tenore, eandemq; munditiam et elegantiam ſervans vir de repub. et litteris optimè meritus ad octogeſimum ſextum annum pervenit, atque hoc anno XI Kal. IXbr. in ædibus ſuis Lutetiæ deceſſit, in ſuburbio ad inſigne S. Vincentij, quod nunc Germanis dicitur cœnobium, juxta maj us altare ſepultus.

CIↃ IↃ LXVI.

I*Oannes Draconites* VII agenario major Vittembergæ obiit XVI Kal. Maii, cepto Bibliorum æmulatione Originis et

alterius Complutensis Editionis, quintuplici nec perfecto opere clarus; quem brevi post secutus est VI Eid. Mai. *Leonardus Fuchsius* Vemdingæ oppido Rætiæ natus, qui summâ cum laude Medicinam Ingolstadij ac dein Onolsbachij fecit, & publicatâ stirpium historiâ magnam laudem adeptus, tandem Tubingæ LXV. ætatis anno decessit.

Paullò post V Kal. VIIIbr. *M. Hieronymus Vida* Cremonẽsis ante xxxv annos á Clemente VII Albæ Pompeiæ ad Tanarum episcopus creatus, qui primus inter Italos post Iacobum Sanazarium poeticam ad res sacras transtulit, & versibus elegantissimis ac purissimis provinciam suam excoluit; in eadem qua vixerat pietate placidè ad Deum migrauit, Albæ in Ecclesia sua sepultus, eiq; postea à civibus suis, de quibus tam bene meritus erat, Exequiis in majori urbis templo magnâ frequentiâ celebratis & publicis elogijs honorificè parentatum est.

Obijt & eodem anno qui fuit illi cli-

climacțericus, xvi Kal. xbr. *Benedictus Varchius*, cujus quę soluta et numerosâ oratione Etr uscè scripsit, meritò inter doctos magno in pretio habentur. Vixit summâ animi libertate, procul ambitu et sine avaritia, & in eadem simplicitate decessit Florentię, in Camaldulensium sodalium templo sepultus.

Aloisius Cornarus rarũ et memorandũ vitę longæ, quam ad centesimum annum integris animi & corporis ad extremum usque spiritum sensibus produxit, exemplum, heic in memoriam revocandus est. Is ex illustrissima Venetæ nobilitatis familia ortus, defectu natalium a reipub. honoribus & administratione exclusus est; uxorem Utinæ in Istria Veronicam ex Spilimbergica familia duxit; et cum amplissima bona possideret, nihil non fecit, ut prolem ex ea tolleret, tandem et votis ad Deum conceptis et medicorum ope, uxoris dilectissimæ sed jam provectæ ætatis frigiditatem superavit, et cum minùs putabat, illa ex marito concepit & filiam e-

 nixa

nixa eſt, quam ille Ioanni Cornaro Fantini F. ex Cypria Cornarorum ſtirpe opulentiſſima elocavit, ex eaque, ſed jam ſene, natos nepotes et pronepotes magno numero vidit; nam Ioannes ex Clara, ita filia vocabatur, VIII maſculos, & tres fœminas ſuſcepit. Infirmitates ex intemperantia in adoleſcẽtia contractas Aloyſius ſobrietate & victûs moderatione emendavit, & propenſionem ad iram ſubitam rationis vi temperavit, ut quàm infirma valetudine & ira impotenti in florenti ætate fuerat, tam proſpera corporis conſtitutione & miti natura in ſenectute fuerit. Qua de re & libros conſcripſit, jam ſenectutem ingreſſus, quibus prioris vitæ confuſæ & poſtea emendatæ rationes explicat, & ſibi longiſſimam vitam pollicetur. Nec ſpe ſuâ falſus eſt; nam centenario maior hoc anno Petavii, ubi larem fixerat, placidâ & ſine doloris ſenſu morte deceſſit, uxore ſuperſtite, quæ virum chariſſimum haud multum ætate minor paullò poſt placidiſſimo itidem obitu ſe-

cuta

cuta eſt, utrique ad *B.Antonij* ſine pompa, ſic enim teſtamento caverant, ſepulti.

Apud nos Septembr. menſe *Carolus Molinæus* Lutetiæ Pariſiorum, unde ortus erat, fatis conceſſit, juris antiqui & Gallici conſultiſſimus, cujus notæ in jus conſuetudinarium noſtrum, ac aliæ doctiſſimæ lucubrationes apud nos pro ratis juris deciſionibus habentur. Hic eſt qui Parmenſis belli initio, condito ab *Henrico* II edicto in depravatam Curiæ R. in Sacerdotiis diſpenſandis diſciplinam, cum publicato in edictum illud commentario in graviſſimam offenſionem incidiſſet, à patria hanc indignam meritis ſuis gratiam retulit, ut ſolum vertere cogeretur. Cum autem ab exilio revocatum Momorantius *E. M.* cujus ille negotia in foro Pariſienſi procurabat, regi commendaret; En, inquit, hominē, qui, quod cum xxx bellatorum CIↃ facere nequiviſti, ut Iulium pontificem placatum haberes, libello edito perfecit. Poſtea etiam conſultationem in Concilium Tridentinum eâdem libertate ſcripſit,

quæ

quæ & illi perniciem creavit. Ante annum, cum turbarum à Proteſtantibus toto regno excitatarum virum optimum tæderet, iſque ſe quaſi illarum fautorem in crimen vocari indignaretur, libellum ſupplicem Senatui obtulerat Februario menſe, quo petebat, ut in eos inquireretur & legibus ageretur. Præcipua accuſationis capita erant, quòd ſpecie religionis ſeditioſos cœtus agitarent; pecuniam ſine regis mandato ſequacibus ſuis imperarent, conſiſtoria celebrarent, diaconos, ſeniores, alioſque adminiſtros inſtituerent, ſtipẽdiis ex plebis ſubſtantia eis attributis: quòd his in conſiſtoriis miniſtri principem locum obtinentes de omnibus cauſis, ſpretâ regii Magiſtratûs juriſdictione, cognoſcerent; effrænem multitudinem erroneâ doctrinâ à ſe imbutam ad libertatem & licentiam vocarent: ipſi fere exteri & hoſpites nullâque legitimâ vocatione ad miniſterium vocati, & Genevenſis adminiſtrationis ſive civilis ſive ſacræ diſciplinam ad evertendum

tendum regnum inveherent; Ecclesiasticos in sua functione impedirent, denique omnia facerent ut fidem regis subditorum sollicitarent. Privati autem contra se illorum odii has causas offerebat, quòd confessionem Augustanam, quæ in Germania obtinet, Genevensi & Helveticâ tolerabiliorem dixisset, & in commentariis in consuetudines Parisienses fanaticos eos & seditiosos vocasset; ea propter illos in concionibus, Synodis, ubique palam ipsum traducere, domesticos qui se observent corrumpere, & amanuenses, ne eorum operâ uti queat, minis, precio, blanditiis seducere. Vir bonus ac simplex, qui patriæ caritate, supra quàm dici potest, inflammabatur, cum emendationem in religione, quam tantopore optabat, in licentiam & factiones versam videret, admodùm indoluit, ac, si vita suppeteret, religiosè promisit, fore ut exemplo suo scriptisque multos ab errore passim grassante revocaret: in eâque cogitatione paulò post animam Deo reddidit, sexagenario major.

Idem hic annus & nobis *Gulielmum Rondeletium* Montiſpeſſuli natū Medicinæ arte præcellentem abſtulit, à Franciſco Rabelæſo noſtrate nihilominus contemptim appellatum in iis libris, quos ingenioſâ magis quàm omnino irreprehenſibili jocandi libertate ſcripſit. Et certe ejus ſcripta ejuſmodi ſunt, ut tantę de ſe opinioni ſive excitatæ ſive ſparſæ nō reſpondeant. Unum eſt quod hominis nomen maxime poſteritati commendavit, quod de piſcibus edidit; ſed eo minore laude, quòd illud potius alienę induſtrię quàm ſuæ debuit, nimirum ex Gulielmi Pellicerii Epiſcopi Montiſpeſſulani, viri rarâ eruditione ornati, commentariis concinnatum, quod doctiſſimarum annotationum, quas ille in Plinium ſcripſerat, magno litterarum diſpendio amiſſarum, aut hactenus ſuppreſſarum pars erat.

His addemus duos Belgas *Georgium Caſſandrum* Caſſanto inſulâ III à Brugis Flandrorum leucis diſſitâ oriundum, qui & inde ſibi nomen confinxit. De eo quoniam

niam supra ad annum LXIIII in Ferdinandi Cæsaris elogio tam multa diximus, pauciora nobis nunc supersunt dicenda, satisque erit, si in viro & utriusque linguæ peritia, & antiquitatis cognitione, ac rerum postremo Sacrarum diligenti scrutatione præcellenti raram hoc ævo modestiam commendaverim, & iis qui ingenium in contentionibus hodiè exercent, ad vitandam acerbitatem in exemplum proposuerim. Nam tot dotibus instructus ille nunquam fastu intumuit, contumeliis petitus nunquam paria reddidit, nullumque ullius arrogantiæ ferocis vestigium, vel in moribus, vel in scriptis ejus deprehensum fuit. Postquam Brugis diu docuit in Cliviam à Wilelmo principe evocatus ad discutiendum Anabaptistarum causam Duisburgi aliquamdiu hæsit, inde in Germaniam perrexit, & cum Cornelio Galtero studiorum munifico comite Coloniæ in Ubiis larem fixit, & post consultationem de controversis Protestantium articulis jussu Ferdinandi Cæsaris scriptam

& ad Maximilianum missam, arthritidis doloribus confectus III Non. Feb. piè defecit, anno ætatis LII, ad B. Francisci funus prosequente Magistratu urbis, & Academiâ, deductus, & ante summum altare cum honorifico Elogio à Galtero amico individuo sepultus.

Cassandrum sequitur *Lucas Fruterius* itidem Brugensis, qui Lutetiæ cum plerisque Belgis, & inter eos *Iano Duza*, Oberto Gifanio, Iano Lernutio degens, proximâ æstate dum pilæ ludo se intemperanter exercet, frigidâ potâ, statim in morbum, quem ferre non potuit, incidit, & cum vix annum XXV attigisset, vivis exemptus est, raptimque elatus, & in vicina B. Hillarii æde conditus. Is in puriore litteratura cum excelleret, etiam multa commentatus esset, properatâ morte præpeditus, omnia ea Gifanii judicio ac fidei commisit, qui pari fide minimè iis usus creditur, vixque lite Iano Duzæ motâ exorari potuit, ut paucula, quæ ex tanta jactura velut ex magno naufragio exiguæ tabulæ superant, sunt publicata.

Ultimus

Ultimus dicetur *Petrus Ioannes Perpinianus* Illicis Conteſtanorum in Valentina diœceſi natus, qui mirâ ad eloquentiam indole fuit, ejuſque periculum cum in prima adoleſcentia Conimbricæ in Luſitania feciſſet, inde in Italiam venit, & ſumma illa Lumina, M. Antonium Muretum & Paullum Manutium in ſui admirationem traxit, Lutetiamque miſſus ut Ieſuiticæ Societati, cui nomen dederat & quæ tunc apud nos exagitabatur, dignitatem conciliaret, habitis aliquot ad Pariſienſeis orationibus; præmatura morte, cum vix quadrageſimum annum ætatis attigiſſet, ſub anni exitum in Claromontana ſchola obiit, magno ſui relicto ſtudioſis deſiderio, ad S. Benedicti tumulatus.

CIↃ IↃ LXVII.

IDem annus & *Michaelem Stifelium* Eſelingenſem jam octogenarium, poſtquam in Saxonia & Boruſſia diu profeſ-

ſoris munere functus eſt, Ievæ in Thuringia abſtulit, cujus libri Arithmetici reconditiore numerorum ſcientia referti in magno, uti debent, pretio inter doctos habentur. Poſt eum *Ioannes Langus* Freiſtadii in principatu Teſchinenſi in Quadis natus VII Kal. VIIbr. annum LXIIII ſupergreſſus, Suidnicii itidẽ in Sileſia obiit, vel fideli Nicephori Eccleſiaſticæ hiſtoriæ tranſlatione ad poſteritatem commendandus, quam ex veteri pulcherrimoque ac totâ Europâ unico exemplari Ferdinandi Cæſaris juſſu fecit; quod vix tandem ac diu poſt meâ curâ ac diligentiâ, ne periret, commodatum heic apud nos ſuâ linguâ excuderetur.

In Italia *Franciſcus Robortellus* Utinenſis, qui magno cum ſtrepitu Bononię & Patavii profeſſus, & variis ſcriptis majorem de ſe opinionem excitavit quàm implevit, cũ Carolo Sigonio, ſed impari certamine ſæpius et acerbiùs quàm inter litterarũ profeſſores decuit, digladiatus, in iiſque contentionibus, Germanorum, qui & mortuo

honorificè

honorificè parentarunt, ſemper præcipuo favore adjutus, tandem ultimum diem xv Kal. April. clauſit, quinquageſimum annum haud multùm ſupergreſſus.

Robortellũ ſecutus eſt *Octavianus Pantagathus* qui & Pacatus dici voluit, patriâ Brixianus, Collegii ſacri Servorum ſodalis, vir antiquâ probitate & omnis antiquitatis ac litteraturæ apprimè gnarus, ad quem cùm omnium, qui litteras in urbe profitebantur, concurſus fieret, ſicuti olim juriſconſulti in circulis, ſic ipſe domi de re litteraria interrogatus reſpondebat, ita ut illi ab ejus colloquiis ſemper eruditiores diſcederent. Inter alios ſuæ doctrinæ præcipuos admiratores ac ſectatores habuit Onufrium Panuinum, Ant. Auguſtinum & Fulvium Urſinum, viros doctiſſimos, qui plurima ſe ab humaniſſimo viro hauſiſſe, & in publicum ab illo accepta communicaſſe ingenuè paſſim profeſſi ſunt. Ipſe præter litteras, etiam officiis adeo in cunctos propenſus fuit, ut vulgo patris cognomine in urbe coleretur. Tandem

extremo hoc anno cum ætatis annum lxiii egressus esset, optimè meritam de cunctis animam Deo reddidit, iii Kal. Ian. in Servorum æde Romæ conditus.

Pantagathum præcessit *Paulus Leopardus* Isenbergæ in Flandria natus iii Non. Iun. cum ætatis annum ageret lvii vivis exemptus, Græcæ Latinæque linguæ doctissimus, quas post mortem ejus edito emendationum opere non parum pro tempore juvit, quarum prior decas statim edita, altera diu suppressa, tandem paucis ab hinc annis à Iano Grutero cum aliis publicata est; de cætero homo minimè ambitiosus, ut qui Bergis Divi Vinocci haud longe à Dunkerca in humili schola obscurus latere, quàm in luce hominum honores & dignitates, quod poterat, affectare maluerit.

CIↄ Iↄ LXVIII.

SUb id *Erasmus* è Limpurgensium comitum familia episcopus Argentinensis fato concessit III Kal. xbr. vir pietate & eruditione prædicandus, qui puer Tubingæ à Io. Stoflero in Mathematicis, in juris scientia à Conrado Bruno & Ioanne Marquardo institutus, Lutetiæ Parisiorũ à Ioanne Sturmio, quò se tunc ille contulerat, operam dedit; eumq; postea Argentinam evocatũ scholæ præfecit, dum vixit, pacis, quam & religiosissimè coluit, studiosus, ut qui concordiã Ecclesiæ ex Patrum auctoritate, abjectis, quæ pravâ consuetudine irrepserant, sarciendã censebat. Hujus viri mentio me admonet, ut aliorum virorum doctrinâ præcellentium, qui hoc eodem anno ad alteram vitam migrarunt, memoriam quantum in me est, ab oblivione asseram.

Primus ex iis occurrit Io. *Oporinus Basileensis*,

leensis, qui secundum Frobenios nulli sumptui parcens, industria ac diligentia sua litterariam rem multum promovit, editis summa characterum elegantia innumeris veterum ac recentium monumentis, ob idque de suo & postero seculo optimè meritus, eoque magis, quòd dum in utilitatẽ publicam totis animi & corporis viribus incumbit, res privatas, quas admodùm confusas reliquit, ita contempsit, ut plus de gloria, quàm de hęreditate sua cogitasse videatur. Obiit prid. Non. Vtil. sexagenario major, & Academiæ humeris elatus, in majore natalis urbis templo juxta Desiderii Erasmi, Simonis Grynæi, Io. Oecolampadii, & Seb. Munsteri monumenta sepultus est.

Post eum commemorandus venit *Onufrius Panuinus* Veronensis eremita Augustinianus, vir ad omneis & Romanas & Ecclesiasticas antiquitates è tenebris eruendas natus, quod præclara ejus & ad omnem æternitatem victura monumenta testantur; qui Alexandrum Farnesium Car-

Cardinalem præcipuum patronum ſuum in Siciliam proſecutus, alieniſsimo & ſibi & publicæ utilitati, cui in Eccleſiaſtica hiſtoria concinnanda inſerviebat, tempore, Panhormi obiit XVIII Kal. April. cum annum tantum ætatis XXXIX attigiſſet. Poſtea amici Romæ homini non ſolum de ſe, ſed de re litteraria optimè merito cœnotaphium ad S. Auguſtini marmoreum cum imagine ænea erexerunt.

Ante eum *Franciſcus Luiſinus*, qui patriam eandem quam Robortellus habuit, hoc eſt, Utinam in Foro Iulii, politiori litteratura & vitæ integritate inſignis, Parmenſium principi à ſecretis epiſtolis, immatura morte, cum plura ab uberi ejus ingenio ſibi quiſque polliceretur, ereptus eſt, quippe tantùm natus annos XLV deceſſit Nonis Martiis, in majori Parmæ templo honorificè à fratribus ſepultus.

Haud multum ſenior, quippe ætatis anno LII *Gul. Gratarolus* Bergomas artis Medicæ peritiâ clarus, quam & ſcriptis pereruditis

ruditis

ruditis illustravit, Basileæ XVI Kal. Mai. vivere desiit.

Extremo anno III Kal. Ian. *Rogerius Aschamus* Curbiviscæ in agro Eboracensi natus, arta cum Hier. Osorio, Io. Sturmio, Io. Metello amicitia conjunctus, Elizabethæ à Latinis epistolis Londini decessit, anno ætatis LIII, ab Edvardo Granta laudatus, qui & epistolas ejus elegantissimè scriptas publicavit.

CIↃ IↃ LXIX.

Victorinus *Strigelius* magni nominis inter suos theologus, qui colloquio interfuit, & dissensioni præcipuè causam dedisse dicebatur, paulò post VII Kal. Ytil. Heidelbergæ fatis concessit, cum tantùm XLV annos explevisset.

Paulus Eberus Kitzinga Franconiæ oppido natus, Vitembergæ, ubi diu docuerat, IIII Eid. Xbr. hoc eodem anno obiit.

Eberum præcessit *Ioannes Lonicerus* Orthernii

thernii in Mansfeldica ditione natus, qui cum patre defuncto ad litteras invito vitrico animum addidisset, è patria Islebiam profugit; atque postremò Vitembergam concessit, tantumque assiduo labore in trium linguarum cognitione & Philosophicis studiis profecit, ut Marpurgum cum Iano Cornario ab Hessiæ principibus evocaretur, ubi litteras Græcas diu magna auditorum frequentia ac fructu professus est, præter doctrinam, verecundiæ, sobrietatis ac modestiæ laude comprimis conspicuus. Multa Græcorum scripta Latinitate donavit, tandemque septuagenarius hoc anno XIII Kal. VItilis è vita placide excessit, relicto Adamo filio, qui Marpurgo Francofurtum ad Mænum migravit, & magnâ artis fælicitate Medicinam in ea urbe fecit.

Ad Italos venio, & primus dicetur *Daniel Barbarus* Venetæ Nobilitatis præclarum lumen, ex eadem familia, quæ Hermolaum veræ philosophiæ & litterarum meliorum in Italia instauratorem olim

 dedit,

dedit, prognatus, philoſophiæ & Mathematicarum artium exquiſitâ ſcientiâ præſtans, atque adeò eâdem, qua ille dignitate ornatus, hoc eſt, Patriarcha Aquileienſis deſignatus. Multa is ſcripſit, ac pręcipuè Pollionis Vitruvii de architectura libros doctiſſimis poſt Gul. Philandrum commentariis illuſtravit. Dicere ſolebat, niſi Chriſtianus eſſet, ſe in Ariſtotelis verba juraturum fuiſſe; adeo in rerum veritate perveſtiganda, eaque in ſingulis naturæ partibus recto rationis ductu, quantum & ſupra quàm humanus captus fert, perſequendâ fæliciſſimũ illius ingenium admirabatur. Poſtea ſe totum Theologicis ſtudiis ut epiſcopali functioni magis convenientibus addixit, & multa ex patribus Græcis Latina fecit, quorum pars edita, pars apud hæredes manet; plura in eo genere præſtiturus, niſi feſtinata mors eum, ut & Hermolaum, diutius publico invidiſſet; haud enim multum quadragenario major Eid. Aprilibus hoc anno ad Deum migravit, vilibus exequiis, ſic enim

homo

homo ab omni vanitate & ambitione alienus extremis tabulis mandaverat, funeratus, & ad S. Francisci in vinea sinè elogio sepultus.

Hunc paucis post diebus secutus *F. Sixtus Senensis* Genuæ in Dominicanorum cœnobio animam Deo reddidit, haud ita senex, vir eruditæ diligentiæ, qui à Pio V dum Dominicani ordinis supremus curator esset, è tenebris errorum, ut ipse dicere solebat, & quasi ab inferis revocatus, huic sacræ militiæ nomen dedit, & insigni opere libris VIII distincto gratum animum erga ipsum testatus est, quo sacrorum librorum censuram fecit, & eorum explanandorum & à falsis sectariorum interpretationibus asserendorum repetitis ex antiquitate Patrum testimoniis rationes explicavit.

Ultimus dicendus venit *Cælius Secundus Curio* Kyriaci fano Taurinorum oppido natus, homo omni litterarum genere non mediocriter expolitus, qui cum eruditionis suæ famâ Mediolani ac Ticini

sparsâ,

ſparsâ, dein Lucæ, Auguſtæ Taurinorum, ac poſtremò Epocediæ ob religionem non citra vitæ periculum exagitatus eſſet, poſtremò Baſileam ſe contulit, ubi Philoſophiæ & eloquentiæ ſtuda publicè per XXIII annos profeſſus eſt, ac tandem anno LXVII ætatis VIII Kal. xbr. è vita migravit; cum Auguſtinum filium ſummæ ſpei juvenem, quod ejus ſcripta ad poſteritatem edita abunde teſtantur, turbato naturæ ordine, ante paucos annos extuliſſet. Apud nos, non ſolùm eruditione, ſed æquitate, prudentia ac ſollertia præſtans.

Baptiſta Minilius, de quo in cauſa Ieſuitarum tanta animorum contentione ante quinquennium in ſenatu agitata, jam ſupra honorificam mentionem fecimus, hoc eodem anno in vivis eſſe deſiit; cum tantùm annos LI egreſſus eſſet, vir longiore vita dignus, ſi Deus pacatam Galliam voluiſſet, & non potius eam novis turbis & triſtibus ſceleſtorum conſiliorum eventibus reſervaſſet. Is in foro Pariſienſi cauſſis privatorum agendis ſummâ diligentiæ

gentiæ, fidei, & industriæ famâ primùm versatus, majori laude, postquam fisci patronus à Rege creatus est, magistratum gessit, cum ad eam dignitatem præter eruditionem & exactum rerum forensium usum, infractam animi constantiam, generosos citra vanitatem spiritus, & perpetuum in æquali vitæ tenore amorem recti, & publici boni studium attulisset: ad hæc tanto ingenii acumine ac luce excellebat, ut cum jus publicè diceretur, quæ multis horis ac verbis advocati partium perplexè disseruerant, ille uno verbo expediret; tantâ æquitatis apud judices opinione, ut vocem perorantis mox decretum sequeretur, & ipse quodammodo Præsidis verbis præire videretur. Observatum à curiosis, nunquam ferè senatum ab ejus sententia seu rogatione dissensisse. Tandem vir patriæ amans, & nominis Gallici supra conditionem studiosus, vitia seculi indies invalescentia, & procerũ consilia ad publicam perniciem insanabili seu furore seu cæcitate inclinare ægerrimè ferens, contra-

cto inde mærore, in hydropem incidit, ex quo IV. Non. VItil. decessit, & in munere successorem Augustinum Thuanum delegit, quem, ut familiâ bene de repub. sentiente prognatum (hæc enim verba ex ipso audita sunt) & Christophori senatûs principis, quem ille unicè dilexerat & coluerat, fratrem cum bona Regis venia, antequam moreretur, sibi succenturiari voluerat. Funus ei Senatorium decretum, & in ædem S. Ioannis, ubi sepultus est, non minore omnium ordinũ luctu quàm pompâ deductum est. Mortẽ ejus ut optimè de regno meriti, Michael Hospitalius domum tunc relegatus, quîcum ille ob consiliorum de repub. & voluntatum consensionem conjunctissimè vixerat, elegantissimis versibus deploravit, & insigni elogio decoravit.

CIↃ IↃ LXX

HAut multo post *Ioannes Brentius* Veilæ imperiali Sueviæ oppido natus,

tus, magni nominis inter ſuos theologus, diuque ob id variâ fortunâ jactatus, Stugardiæ in agro Virtembergico ſeptuagenario major fatis conceſſit III Eid. VIIbr.

Idem annus abſtulit nobiliſſimum cognominum fratrum par, videlicet *Tiliorum* Engoliſmenſi agro oriundorũ, quorum *Ioannes* grandior natu Curiæ protonotarius fuit, qui curâ, diligentiâ & ſummâ in ſuo munere aſſiduitate non ſolùm ingẽtes opes, ſed veram gloriam, & quâ majorem nemo noſtrorum antè meruit, exactâ juris noſtri & Franco-Gallicæ omnis antiquitatis cognitione ſibi comparavit. Alter natu minor ſacris addictus, primùm fani Brioci in Armorica, & poſtea Meldorum epiſcopus fuit, qui à puero litteris inſtructior, ad rerum noſtrarum, quâ frater ejus excelluit, peritiam, etiam linguarum, juris priſci Ro. & Eccleſiaſticæ antiquitatis exactam cognitionem adjunxit, perluſtratis Franciſci I permiſſu cænobiorum ac aliorum locorum toto regno celebrium, cum adhuc integræ eſſent, bibliothecis,

atque inde peculiari ſibi inſtructo librorum veluti penu copioſo, ex quibus pleraque in utroque genere venerandæ antiquitatis monumenta publico dedit, eoque nomine magnam à ſui & poſteri ævi hominibus gratiam ac laudem meruit.

Paulò poſt Non. Ixbrib. Auguſtæ Taurinorum, nondum ſuperato xxx anno, obiit *Iacobus Grevinus* Claromontio in Bellovacis natus, ingenio & rarâ eruditione præſtans, qui cum à pueritia induſtriam in poëtica, fæliciſſimè exercuiſſet, quod Gelodacrys & alia edita cum raris illius ævi poëtis comparanda & æternùm victura ad poſteritatem teſtantur, ad Medicinæ ſtudium animum appulit, in qua pari fælicitate ingenium exercuit. Nicandrum elegantiſſimè â Ioanne Gorræo Latinum factum Gallicis verſibus non cedente Græcis Latiniſque elegantiâ reddidit, & de venenis commentarium Gallicè itidem ſcriptum adjecit; multa inſuper ſive edidit ſive commentatus eſt, quæ morte pręcipitata ultimam manum non receperunt.

Hominem

Hominem tot ingenii dotibus instructũ & amœnitate ingenii cunctos in sui amorem rapientem Margarita, quæ Philiberto Emanueli Sabaudiæ duci nupsit, virtutum insigne nostro ævo exemplar, inter familiareis adscitum in Italiam secum duxerat, eoque postea non solùm Medico sed & Consiliario in gravissimis negotiis semper usa est, adeo ut Grevino extincto, se & valetudinis suæ curatore eximio, & in animi anxietatibus amico solatore orbatam doleret; itaque & mortuo honorificum funus fecit, & viduam ac filiam ejus Margaritam Emanuelida, quam de sacro lavacro susceperat, quamdiu vixit, penes se retinuit, & omni humanitatis ac beneficentiæ genere prosecuta est, ut quæ vivum dilexerat, etiam ossa ac relliquias, quæ in vidua ejus ac carissima filia restabant, insigni grati animi exemplo se diligere ostenderit.

Ioannes item *Mercerus* Uticæ in Septimania natus, hoc anno vivere desiit. Is cum primò Iurisprudentiæ operam dedis-

 set,

ſet, & utriuſque linguæ peritiâ apprime inſtructus, quantos in ea perplexa ſcientia progreſſus feciſſet, Harmenopuli Epitomâ elegantiſſimè in Latinum versâ & illuſtratâ ſummum ſpecimen dediſſet; tandem eâ relictâ profeſſione, quâ fere opes & celebritatem homines noſtri ſibi comparant, totum ſe ſacris litteris & Hebraïcæ ac Chaldaicæ linguæ inprimis ſtudio addixit; in quo diligentia, cōtentione, ac rarâ animi perſpicacis fælicitate tantū profecit, ut cum ſub id tempus Franciſcus Vatablus è vivis exceſſiſſet, ſummâ omnium profeſſorum ac doctorum conſenſione, is eſſe viſus ſit, qui jacturam morte tanti viri acceptam, qualem in ea lingua nulla ante ætas audiverat, facilè ſarciret. Itaque Vatablo in ordinario explicandæ ſacræ linguæ munere ſuccenturiatus, vix credibile eſt, qualem ſe quantumque præſtiterit; quippe qui quatuor linguarum peritiſſimus, ad incredibilem diligentiam acerrimum judicium attuliſſet; accedente rurſus ad eximiam doctrinam candore, mo-

deſtiâ

destiâ & summâ morum innocentiâ, adeo ut ex ipsius pœne unius schola prodiisse constet, quicunque in Gallia hodiè paullò melius Chaldaicam & Hebraicam linguam callent; turbatis postea per bella civilia ob religionem in Gallia rebus, homo turbarum fugiens Venetias concessit, ut cum Hebræis qui illic sunt, de nonnullis conferret, hospitio V.C. & in eadem scientia juris à teneris educati, tunc verò litteris sacris operam dantis Arnoldi Ferrerii regii Oratoris usus, cũ quo aliquãto tẽpore conjunctissimè vixit; inde cum Lutetiã repetere in animo haberet, de scriptis suis recognoscendis & edendis cogitans, in itinere Uticam deflexit, ubi quæ cunas illi paterna domus dederat, lue populari per illas regiones tunc grassante correpto sepulchrũ dedit. Ejusdẽ viri optimi, qui eum in patriæ calamitatibus protexerat, beneficio ac liberalitate servata ac post mortem ejus publicata sunt eruditissima in VI minores prophetas priores, Iobũ, Solomonẽ, & postea in Genesin commentaria: qui fætus

licet

licet poſtumi, accuratam parentis ſui diligentiam produnt, ut vel ex iis & aliis, quæ vivus publicavit, monumentis in confeſſo ſit, nunquam quenquam Chriſtianum fęliciùs Hebraiſaſſe. Ne vero totus intercidiſſe videretur, effecit & Ioſias ſuperſtes, tāto patre digniſsimus filius, qui præter exactam utriuſque linguæ peritiam & raram purioris antiquitatis cognitionem, acerrimo judicio in iis penſitandis excelluit, quod non ſolùm in litteris, ſed in caſtris & rebus gerendis per hæc bella civilia exercuit, deplorandâ ſanè temporum conditione, quæ Muſis colendis nata ingenia ſive armorum vi, ſive negotiorum æſtu à recto ſtudiorum curſu plerunque revocarunt.

His addam *Petrum Montaureum* Pariſienſem ſenatorii ordinis, magni & excellentiſsimi ingenii virum, & in philoſophia ac Mathematicis artibus, in quibus multa antiquorum illuſtravit, non pauca ipſe adinvenit, verſatiſsimum; ad hæc pangendis verſibus magnam laudem promeritum, qui ob religionis cauſam bellis ci-

vilibus

vilibus variè jactatus, cum Sancerras ad Ligerim, tanquam in tutissimum & amicissimum sibi & studiis suis nidum confugisset, ex mærore contracto morbo haut ita senex eodem hoc anno decessit XIIII Kal. VIIbr. à Michaele Hospitalio amplissimo viro ac præcipuo amico versib. acerbæ in seculi hujus ingratitudinem querimoniæ plenis deploratus.

CIↃ IↃ LXXI.

ET ut viros doctrinâ præstantes cómemorẽ, *Claudius Espencæus*, jam multoties à nobis perhonorificè appellatus, paterno genere ex clarissima Espencæorum in Campania, materno illustri Ursinorum in Latio & regno Neapolitano familiâ ortus, sed pietate, candore, & omniũ disciplinarum absolutâ cognitione illustrior III Non. VIIbr. animam de rep. Christiana optimè meritam Deo reddidit, Lutetiæ ad S. Cosmæ sepultus, qui per XL annos in

Parisiensi Academia humanioribus, philosophicis ac theologicis studiis cum incredibili omnium admiratione operam navasset, à Francisco I Melodunum, ab Henrico II Bononiam, à Francisco II Aurelianũ, à Carolo IX Pissiacũ inter primarios religionis hoc in regno antistites nũc legatus nunc disceptator sanctissimè ac doctissimè de controversis rei Christianæ capitibus, cum delectis adversæ partis theologis summâ æquitate ac moderatione egit, & voce ac eruditissimis in complures scripturæ locos editis commentariis, religionis negotium promovit, sacri etiam olim galeri decus potius meritus quàm adeptus; tandem ex gravissimis calculi doloribus quod fere præmium pro vigiliis à naturâ studiosis repēditur, extinctus est anno ætatis LX, magno sui relicto desiderio, cum unus è paucorum numero esset, qui de idoneis pacis in Ecclesia constituendæ rationibus seriò semper cogitaverit, atque adeo de tollenda è domo Dei scissura, quam multi hodie, dum præpostero pietatis

tatis ardore, strenui in ea causa videri volunt, firmant magis quàm oppugnant, alienatis & obduratis adversariorum animis quos potius emendationis factâ spe & sublatis offendiculis conciliari & sensim ad unionem abduci oportuit.

Eodem mense *Henricus Scrimgerus* Dondia oppido Scotiæ maritimo, familiâ nobili, cujus princeps vexilli ferendi jus in regno habet, natus, Aureliæ Allobrogum extremũ diem clausit, annum LXV supergressus. Is patriâ relictâ, Lutetiam Parisiorum litterarum causâ solenni Scotis more primùm venit. Dein Avaricam Biturigum juris discendi causâ profectus, Equinarium Baronem & Franciscum Duarenum celeberrimos in ea Academia professores audivit, & Iacobi Amioti, qui postea ad majores honores evectus est, tunc litteras Græcas in ea urbe profitentis commendatione, erudiendæ Bocatellorum pueritiæ admotus est, ac Bernardum postea Redonum Antistitem & magnis legationibus honorificè defunctum in Italiam se-

cutus, sub id tempus Patavium accessit, quò Franciscus Spiera in ea civitate vitam abrupit, ejusque historiam quæ Henrici Scoti titulo vulgata est, scripsit. Nec ingratus discipulus erga præceptorem fuit, quem, cum non exiguum damnum Genevæ, ædibus incendio fortuito pænè absumptis, accepisse intellexisset, non modicâ pecuniâ ad illud sarciendum protinus missâ muneravit. Inde in Germaniam profectus Scrimgerus Huldrico Fuggero insigni litterarum & litteratorum patrono operam addixit, ejusq; sumptibus bibliothecam magnâ librorum rariorum tam Græcorum quàm Latinorum M.SS. copiâ instruxit; ad quos edendos Genevam reversus, Henr. Stephani, qui et Fuggeri stipendiarius erat, industriâ usus est. Et Novellas Iustinianeas, quas Iacobus Cujacius tantoperè post Gregorii Holoandri editionē laudavit, ex illius officina publico dedit. Ipse anno *CIↃ IↃ LXIII* in Schola Genevensi Philosophiam publicè docuit, et biennio post primus in ea civitate jus civile

vile profiteri cœpit; quo in munere defecit, et moriens peculiarem bibliothecam optimis libris refertam P. Iungo sororis filio, qui nunc Episcopali dignitate in Anglia ornatus est, testamento legavit, quam Alexander Petri frater Genevâ in Britanniam transferendam curavit.

In Rætia hoc eodem anno *Ludovicus Castelvetrus* Mutinæ natus obiit, qui variis cum Hannibale Caro de re ludicra altercationibus vexatus, ad extremum patriam reliquit, & litterarum studia apud Helvetios hospes antiqua persecutus, præter alia insignem in Aristotelis Poëticam commentarium linguâ vernaculâ scripsit, et Basiliæ elegantissimâ formâ edendū curavit.

Post Castelvetrum commemorandus venit *Georgius Fabritius* Chemnicensis, qui rem litterariam non mediocriter et scriptis et vivâ voce juvit et illustravit, diu illustri ludo Misenæ Hermundurorum post Ioannis Rivij obitum præpositus, et Poëticâ facultate, quam rebus sacris fere impendit, magnam laudem inter suos

adeptus, Eid. Vtil. deceſſit, anno ætatis lvi: quem paucis menſibus anteceſſit *Joachimus Morlinus* Lutheri ſectator, et Sambienſis Eccleſiæ à Sigiſmundo Auguſto Poloniæ rege, cum res Boruſsiæ ante aliquot annos ordinaret, Epiſcopus creatus.

----Turbavit et paullùm reginam *Ioannis Iuelli* Devionenſis, quippe vix quinquagenarij, obitus, qui Mariâ reginâ ob religionem exul, ab Elizabetha in patriam revocatus, et Sariſburienſi Epiſcopatu donatus, confeſſionē fidei ſub Edvardo VI receptam, contra Thomam Hardingum, qui eam aliquando probaverat, et poſtea recantaverat, libris editis, qui magno in pretio inter eos habentur, tutatus eſt.

CIↃ IↃ LXXII.

P*Etrus Ramus* in Veromanduis natus, cum diu bonas litteras, Philoſophiam, et poſtremò Mathematicas ſcientias in Prelæa ſchola, cui præerat, & poſtea in regio

regio auditorio docuisset, postremò erroneam in Philosophicis doctrinam invexit, Aristotelem voce et scriptis importunè oppugnans; quâ de re cum Iacobo Carpentario Claromontano magnæ controversiæ ei fuere, et antea majores cum Antonio Goveano et Ioachimo Perionio; tamen ex eo commendatione dignus fuit, quòd ingenio, diligentiâ, assiduitate et opibus etiam suis, quantum in ipso fuit, rem litterariam juvit, ac promovit, institutâ Mathematices professione, cui annuum vectigal 10 librarum è facultatibus suis attribuit. Is, à Carpentario æmulo et seditionem adjuvante immissis sicariis, è cella, in qua latebat, extractus, et post depensam pecuniam inflictis aliquot vulneribus per fenestras in aream præcipitatus est, effusis visceribus, quæ pueri furentes magistellorum pari rabie incitatorum impulsu per vias sparserunt, et cadaver ipsum scuticis in professionis opprobrium diverberantes, contumeliosè et crudeliter raptaverunt. Quodubi ad *Dionysii Lambini*

bini Monſtroliensſis humaniorum littera-
rum et utriuſq; linguæ Regii profeſſoris,
multiſq; editis libris de re litteraria bene
meriti aures pervenit, ille, qui ſibi cum
eodem Carpentario occultas ſimultates,
quamvis ob rem litterariam, interceſsiſſe
ſciret, de cetero à Proteſtantium doctrina
alienus, tamen exemplum Rami veritus,
adeo conſternatus eſt, ut ab eo erigi non
potuerit, perculſâq; mente in morbum
graviſsimum inciderit, ex quo poſt men-
ſem deceſsit.

Hoc anno nobis ereptus eſt *Ægidius Tſcheudus* Claronenſis, vir clariſsimus, qui
patriæ ſuæ hiſtoriam, h. e. Helveticam
magno labore et induſtriâ vernaculo ſer-
mone deſcripſit, & cum primo de Rætia
& Alpino eo tractu commentarium ſcrip-
ſiſſet, eo Latinè à Seb. Munſtero amico
ſuo, ſe inſcio, publicato, indoluit vir ex-
actæ diligentiæ, nondum perfectum opus
ſuo nomine evulgatum, ab eoq; tempore
in eo recudendo laboravit, atq; adeo Hi-
ſtoriâ univerſâ Helvetiorum concinnan-

dâ,

dâ, quam tamen ad umbilicum adducere non potuit, pridie Kal. Mart. morte praeventus, non tamen omnino immaturâ; quippe cum jam LXVII annos attigisset; post cujus obitum operis tam diu expetiti ad exitum persequendi cura demandata est Iosiae Simlero viro eâ provinciâ dignissimo, qui & illud vernaculè ab auctore inchoatum Latinè à se versum persequi instituit; sed non diu post decedens imperfectum reliquit.

Tschudum aliquanto post secutus est *Io. Volfius* Tigurinus Senatoriâ familiâ ortus, magni nominis & eruditionis inter suos theologus. Is Petri Martyris Vermilii, qui Tiguri fixo domicilio docuerat, inchoata & imperfecta supplevit, & multa insuper scripsit, ac tandem in patria non ita senex, quippe cum tantum L annos explevisset, fatis hoc anno concessit, XV Kal. Xbr. Gaspare fratre superstite, Medicinae in ea repub. professore, cujus diligentiae multa Conradi Gesneri, quae vir ad publicam utilitatem natus immaturo

obitu inedita reliquerat, post mortem auctoris ab ipso publicata debemus.

Nunc Itali dicentur; primusq; occurrit *Donatus Ionotius* Florentinæ reip. ante confirmatum Mediceorum principatum quondam à secretis epistolis, qui homo ingentis animi, cum semel liberam patriam vidisset, amissâ libertate, vertere solum maluit, quàm in eâ manere, ubi non esset qui fuerat: & quamvis amplissimis conditionibus à Cosmo delatis, etiam præcipuis dignitatibus invitatus, nunquam adduci potuit, ut Florentiam rediret; is à teneris egregiè in litteris instructus, ceterùm ad tractanda negotia natus, cum patriæ calamitate & spontaneo exilio sibi generosè indicto à reb. gerendis remotus esset, totum vitæ tempus in litteris & officiis privatis contrivit, & Venetiis, ut vel in aliena rep. civitatem retineret, & amissæ veluti libertatis auram respiraret, domicilium fixit, & in grati animi testimonium de serenissima repub. commentarium summo judicio conscriptum edidit; scripsit

ſit & in illo otio de rebus Italiæ ad Paul. III, & de rep. Florentina etiam Commentarios, qui in Gadiana & in Rudolfiana Bibliotheca aſſervantur, magno publicæ utilitatis bono, cum Deus voluerit, publicandos. Tandem plenus annis Venetiis deceſſit, ibidem ſepultus.

Præceſſit hunc *Hippolytus Salvianus* Tiferno in Umbria familiâ nobili natus, vir multijugæ doctrinæ, & opere de piſcibus inter alia ſcripta clarus, qui cum XXII annos in ſchola Romana magno concurſu prælegiſſet, & Medicinam fæliciſſimè feciſſet, Eidibus Ap. deceſſit, ætatis anno LVIIII, & ad S. Mariæ ſupra Minervam conditus eſt.

Ioannes Argenterius qui Salviano jungatur, ex Italis ſupereſt, Caſtro-novo in Subalpina regione loco obſcuro natus, ſed ingenio, quod in Ariſtotelis ſchola præcipuè exercuit, excellens: præſtantiſsimus item Medicus, & ſcriptis ad poſteritatem victuris clarus, qui Auguſtæ

Taurinorum decessit. III Eid. Mai. cum ætatis annum ageret LVIII, ad S. Ioannis ab Hercule filio honorificè sepultus.

Apud nos *Nicolaus Gruchius* Rotomagensis nobili loco natus, omni litterarum ac scientiarum genere egregiè instructus, & cum Ioachimo Perionio primùm de Aristotelis verâ interpretatione, dein cum Carolo Sigonio de præcipuis Antiquitatis Romanæ controversiis, de quibus & scripta utriusque publicè prodierunt, digladiatus, cum ob doctrinæ famam magno concursu Lutetiæ ac Burdigalæ, dein etiam Conimbricæ à Ioanne Lusitaniæ rege honestis præmiis cum aliquot aliis è Gallia invitatus, Aristotelem, quod primus Græcè fecit, publicè interpretatus esset, ultimis bellis, huc illuc vagus, tandem confecto bello civili tertio à Rupellanis, qui spe diuturnioris, quàm quæ secuta est, pacis, ludum litterarium littore illo Santonico aperire decreverant, accersitus est,

&

& cum vix pedem in urbe posuisset, febre lentâ, quâ in itinere correptus fuerat, ingravescente, antequam dignam hospitibus de se optimè meritis gratiam posset rependere, in ipso professionis limine Ianuario ineunte, ultimum vitæ diem clausit, eo fælicior censendus, quòd morte quamvis studiosis acerbâ, tumultum Parisiensem antevertit, neque urbis in qua senectutis nidum posuerat, obsidioni superfuit.

Ex nostris dicendus superest *Antonius Rodolphus Cevalerius Moncampio* vico juxta Viram, in ulteriore Neustria natus familiâ nobili; quippe ex qua Cevalerii Agnelli fratres prodiere, qui ingenium in Poetica exercuerunt. Is cum à puero linguæ Hebraicæ operam dedisset Lutetiæ Parisiorum sub Francisco Vatablo, in Anglia Oxonii sub Paulo Fagio, inde inter domesticos Elizabethæ, quæ postea regina fuit, ascitus, cupidam discendi virginem linguam Gallicam docuit. Dein post Edvardi VI obitum in Ger-

maniam profectus, uxoris Immanuelis Tremellii filiam ex priore marito in uxorem duxit, ita ut vulgo Tremellii gener crederetur, cum eoque linguæ S. peritissimo majores semper in eadem progressus fecit. Dein Argentinam *CIↃ IↃ LIX* evocatus est. Aureliæ Allobrogum diu post magnâ cum laude, nec minore in omnes fructu docuit, ut ex Thesauro Sancti Pagnini multâ accessione locupletato, editione ab eo tunc temporis procuratâ patet. Quadriennio deinde exacto, patriæ visendæ desiderium ut aliquâ ex parte expleret, Cadonum venit; in eaque urbe pacatè mansit, quousque bello civili recrudescente, in Angliam profugere coactus, à memori regina perhumaniter acceptus est. Factâ demum apud nos ante biennium pace, Cadomum revertit: unde tandem hoc anno post tumultum Parisiensem rursus migrare coactus, cum sibi in Angliam necessariò renavigandum videret, homo jampridem valetudenarius ad Grenezæam

ditionis Anglicanæ insulam nauseabundus divertit, in eâque morbo fatali oppressus, exeunte VIIbr. anno ætatis lxv decessit, relicto filio, qui nunc Cantuariæ degit. Præter Grammaticam linguæ Hebraicæ exactissimam & Thesaurum, quem dixi, novam Bibliorum editionem, quadrilinguem aggressus fuerat magnâ diligentiâ adornatam, cujus primam partem, quâ Pentateuchus & Iosuæ liber continentur, manu ipsius eleganter descriptam mihi videre contigit.

Stephanus Szegadinus Hungarus magni inter suos nominis, editis etiam plerisque scriptis, Theologus, cum pastoris munere diu Badæ & Pesti inter gravissimas anxietates & ærumnas diu functus esset, anno ætatis LXVII, Kevini in Pannonia defecit.

Ultimum agmen claudet *Io. Genesius Sepulveda Cordubensis*, Salmanticæ, ubi sacri Collegii sodalis erat, mortuus, cum vitæ cursum cum seculo numeraret, homo Græcè, Latinéque doctus, & Philosophicis

losophicis studiis clarus; quod eruditæ ejus lucubrationes editæ testantur; sed obnoxius, & quanquam Theologiam professus ab humaniore sententiâ, quæ Theologum magis decebat, alienus. Nam cum Bartholomæus Casa, qui Carolo V Cæsari à sacris confessionibus erat, apud eum ante XVIII annos de Hispanorum Indias ad Occidentem vastantium avaritiâ, crudelitate & libidine conquestus esset, tantique principis mandata de re totâ certiùs coram cogniturus in Indias trajecisset, & reversus dictis majora vidisse se testatus Pinciæ in concilio instaret ut modus immani licentiæ poneretur; alioqui fore, ut Deus eâ immanitate irritatus imperio Indiarum Hispanos exueret, & cœpta divini verbi promulgatio illis locis, quæ causa justi contra Indos gerendi belli obtendebatur, minimè procederet; reperti sunt tamen, qui lucrum ex ea intemperie captantes, factum excusarent, quorum causam tuendam Sepulveda suscepit,

ſuſcepit, & per divina & humana jura Hiſpanis, quod facerent, licere dixit; quippe qui in bello captos tanquam ſervos belli jure uterentur, idque libro complexus eſt, quem cum edere omni ratione cuperet, interceſsit Caſa, & Segobienſis Epiſcopus. Itaque negotium rurſus in diverſis Hiſpaniæ conſeſsionibus agitatum fuit, tandemque decretum, ut quando res ad conſcientiam pertineret, Theologorum ſuper ea ſententiæ exquirerentur. Id actum anno hujus ſeculi XLVII. Secundum hoc Compluti & Salmanticæ conſulti Theologi, poſt longas altercationes cenſuerunt, è re Chriſtiana eſſe, ut liber Sepulvedæ tanquam doctrinâ minùs ſanâ refertus non ederetur. Neque propterea Sepulveda quievit, ſed Romam ad amicos eum miſit, ut publicaretur. Cum rurſus Cæſar per Oratores ſuos id prohibuiſſet, & interim omnia exemplaria in Hiſpania reperta ſupprimi curaſſet; nihilominùs Sepulveda in pertinacia perſeverans, & tur-

pe vinci existimans, cum Casa & Segobiensi Episcopo publicâ concertatione committi petiit, & obtinuit. Nam triennio post publica disputatio instituta est, cui Dominicus à Sancto magni nominis Theologus, & Cæsari ipsi à sacris confessionibus, interfuit, isque exitus actionis fuit, ut Cæsare aliis bellis occupato, potius permissa, quàm approbata Hispanorum in Indiis grassandi licentia fuerit.

MD LXXIII.

HIc annus Galliæ abstulit *Michaelem Hospitalium*, *Andream Masium*, & *Carolum Langium*; quidni enim homines, Belgas inter Gallos recenseam? rara hujus sæculi ornamenta, sed illum dignitate præcellentem, qui per omnes togæ gradus summâ cum doctrinæ, integritatis, gravitatis ac prudentiæ incomparabilis

laude

laude verſatus, ad ſolſtitium tandem honorum pervenit, & turbulentiſſimis Galliæ temporibus, iis etiam, qui remp. turbatam quàm pacatam malebant, ſuffragantibus; ob ſummam virtutis & conſtantiæ opinionem, poſt Franciſci Olivarii mortem, quem ille vivum præcipuè coluerat, Cancellarius Franciæ creatus, invidiam ſemper virtutis comitem magnis conatibus adverſam habuit; quâ infractâ animi magnitudine diu luctatus, non victus, ſed cedendo victor evaſit, & ad quietem domeſticam verſus in honeſtiſſimo otio, quod reliquum vitæ fuit, tranquillè exegit. Dum in Aulâ fuit, indignam meritis ſuis gratiam rependi dolens, tamen judiciario ordine corrigendo intentus, ſanctiſſimas leges promulgavit, quæ ſanctiſſimi eorum conditoris memoriam apud poſteros conſervabunt; tandem anno ætatis circiter LXX in Vinniano ſuo III Eid. Mart. placidiſſimâ morte ad Deum migravit, condito priùs teſtamento, quo vitæ ante-actæ quaſi redditâ ratione, pi-

etatis in Deum, charitatis erga patriam, ingenii, elegantiæ, & prudentiæ quæ eum ad extremum vitæ ſpiritum usque comitata eſt, teſtimonium veluti conſignatum reliquit. Quæ de jure ſcripſit, immortalitate digniſſima, in tenebris hactenus delituêre, aliquando utinam magno reip. bono, lucem viſura. Verſus ne perirent, Vidi Fabri, quem ille vivus ſingulari benevolentiâ ſemper proſecutus eſt, pietas vetuit; qui eos huc illuc neglectim ab auctore ſparſos, noſtrâ etiam operâ, & *Scævolæ Sammarthani*, viri inter alias dotes harum rerum pertiſſimi, in iis ordinandis uſus, collegit, & publico dedit. Ii verſus puritate ſermonis, nitore, acumine, & ſententiarum pondere cum omni antiquitate certant, virumque verè exprimunt, qui non vultu tantùm Ariſtotelis os, quod ex utriuſque imaginum ubique proſtantium comparatione conſtat, ſed Solonis, Lycurgi, Charondæ ac Platonis denique ſapientiſſimorum legiſlatorum pectus, mores, doctrinam, & judicium,

quibus

quibus longo rerum maximarum uſu & experientiâ confirmatam prudentiam junxerat, in omni vita ſive privatâ, ſive publicâ actione referebat.

Maſius VII Eid. April. Zuenaræ in Cliventi ditione ex hydrope haud ita ſenex deceſſit, cum Wilelmo principi ſuo diu fidam operam in præcipui conſiliarii munere navaſſet; vir ſyncero, candido, & aperto ingenio; ad hæc rarâ & reconditâ doctrinâ præditus, & qui ad Hebraicæ, Chaldaicæ, ac cæterarum Orientalium linguarum cognitionem, ſummam animi pietatem & exactum rerum ſacrarum ſtudium attulerat; variaque in eo genere commentatus fuerat: plura etiam daturus, ſi viro bono per valetudinem ferè ſemper adverſam licuiſſet. Specimen eorum præbent doctiſſimi & accuratâ diligentiâ ſcripti in Ioſuam commentarii, ante biennium ab ipſo auctore publicati.

At *Langius* natione Flandrus, cum in adoleſcentia itidem, poſt humaniorum

litterarum egregium ſtudium, juris ſcientiæ ſe addixiſſet, inde Leodicum in Eburonibus, patriæ turbas peroſus, tanquam pacatiorem locum ſeceſſit, & in Sacri Collegii ſodalitium cooptatus, multa in litteris commentatus eſt, à Ciceronis opere præclaro, quod de officiis ſcripſit, exorſus; & in illo otio etiam hortorum culturæ, homo elegantiæ inſuetus, animum applicuit; primuſque exoticos flores, ac plantas ex Indiis, ac novo orbe, non ſolùm oculorum oblectamento, ſed etiam naturæ remedia novis morbis quærenti locupletandæ, undecunque collegit; ac per pulvillos diſpoſuit; eorumque ſpectaculo cum Iuſtum Lipſium, illac fortè in Germaniam & Italiam tranſeuntem aliquandiu diſtinuiſſet, inde ſermoni juxta ſerio & erudito de conſtantia occaſionem præbuit. Tandem cum necdum Eburones ſuos à turbis vacuos videret, tædio vitæ correptus, ſtudiorum curſum & vitæ unà abrupit III Kal. VItilis, relictis imperfectis quæ præ manibus

bus habebat, ad æternitatem victuris monumentis & insigni utriusque linguæ ferè omnium M. SS. bibliothecâ, quæ huc illuc distracta ac dissipata est. Lævinus Torrentius vir & cognatione & studiorum ac voluntatum consensione conjunctissimus, ejusdemque Collegii sodalis, ei monumento in majore urbis Templo erecto, parentavit.

His addetur dignitate & eruditione fortasse inferiore, cæterùm litterator insignis, editis in hoc genere compluribus monumentis, *Franciscus Fabricius* Duræ sive Marcoduro duobus à Iuliaco milliaribus in agro Coloniensi natus, qui secundum Sebastianum Corradum, Regiensem historiam Ciceronis aliosque bonos auctores maximè illustravit; & hoc eodem anno Dusseldorpii ubi docebat, debitum naturæ persolvit, immaturâ morte, quippe cum tantum ætatis annum XLVII ingressus esset.

Ioachimus Curæus Freistadii in Quadis natus, Silesianis annalibus bene de patria meritus,

meritus, Fabricio junior, XII Kal. Februarij, Gegloviæ ſub id deceſſit.

Annum clauſit *Ioannes Baptiſta Cynthius* Lilij Gregorij Gyraldi gentilis, comi vir & amæno ingenio, qui Patavij ferè vixit, & ſcriptis aliquot vernaculâ linguâ claruit, atq; Ferrariæ poſtremò in patria, annos natus LXIX deceſſit.

M D LXXIV.

HIC annus nobis eripuit duo magna Italiæ & Germaniæ lumina, *Paullum Manutium* & *Joachimum Camerarium* Papebergæ in Franconia anno *CIↃIↃ* & eodem ipſo menſe, quo mortuus eſt natum. Et in Paullo quidem præter exactam puritatis Latinæ & Antiquitatis Romanæ cognitionem, quam ad Ciceronem ſuum illuſtrandum attulit, pleriſq; ſcriptis dum vixit publicatis, & poſt mortem à filio Aldo virtutum paternarum hærede editis, præcipua ad juvandos

aliorum

aliorum labores cura, ac per manus hæreditario veluti jure à patre & avo tradita industria fuit, insigni illâ & omnibus seculis deprędicandâ artis typographicæ officinâ, ex qua omnium ferè veterum tam Græcorum quàm Latinorum, & aliorum auctorum scripta diligenter, ut tempora ferebant, certè elegantissimè excusa, ad publicam utilitatem olim prodierunt, ut omnium confessione constet, litteras renascentes ortum suum Manutianæ familiæ debere, quæ adultiores in Germania à Frobeniis, sed maximè omnium in Gallia à Stephanis, per C annorum spatium eâdem industriâ propagatæ, & ad summum diligentiæ simul & elegantiæ fastigium perductæ sunt. Paulus autem ante aliquot annos Venetiis Romam evocatus, ut sacrorum librorum editioni præesset, attenuato assiduis studiis corpore, cum diu præ macie in lecto decubuisset, ubi eum paucis ante mortem diebus, sedulò, cùm Romæ essem, cum M. Ant. Mureto vetere amico sæpiùs in-

visi, tandem optimè meritam de re litteraria animam Deo reddidit, VIII Id. Apr. ad Minervæ sepultus. *Camerarius* loco nobili, sed in modicis opibus natus, ad hæc specie ingenuâ præditus, nobilitatem generis, quantum per conditionem & ætatem licuit, nobilibus exercitiis retinuit, equitandi peritiâ insignis, de quâ ad Xenophontis librum, quem de re Equestri scripsit, à se Latinè versum, ac notationibus explicatum, & peculiarem commentarium subjecit. De cætero, cùm vitam ocio litterario consecrasset, post perceptam utriusq; linguæ exactam notitiam, quas & variis scriptis illustravit, non solùm ad bonos auctores in utráque lingua interpretandos, tam Poetas quàm Oratores & Historicos, sed etiam in solidioribus Philosophiæ, Mathematicarum artium & postremò Theologiæ studiis multa commentatus est. Ad quæ omnia, quod pauci ante illum fecerant, politioris litteraturæ ornamenta semper attulit, variis in omni doctrinæ genere lucubra-

cubra-

cubrationib. aut dum vixit editis, aut post ejus mortem à tanto patre dignis filiis publicatis, quæ ſparſim & diverſis temporibus ac locis per particulas edita, cùm eiuſmodi ſint ut iis ad rem litterariam plurimum emolumenti ſit redundaturum, ſimul omnia aliquando edi Reip. maximè intereſt. Conſtans ac perpetuus Philippi Melanchthonis amicus fuit, ejus ſtudiorum, voluntatum, ac conſiliorum particeps, & cum ipſe Lipſiæ larem fixiſſet, & ille Vitembergæ profiteretur, per litteras amicitiam eam toto tredecim annorum tempore coluerunt. Et Melanchthonis quidem litteras ipſe Camerarius poſt mortem ejus ſtudioſè collectas ac digeſtas publicavit, ſuis non inſertis; quarum partem filij poſt patris obitum, tum alias ad diverſos duobus voluminibus diſtinctas adutilitatem publicam ediderunt. Tandem vir optimus, & de repub. tot exantlatis laboribus bene meritus ex hac vita migravit XV Kal. Maias. Abſtulit & hic annus nobile par fratrum *Hieronymum*

& *Ioannem Baptistam Amaltheos* Opitergiæ in Tarvisino limite natos. Quorum ille Philosophus ac medicus præstantissimus, eâ morum suavitate fuit, ut vel solo aspectu omnium in se benevolentiam alliceret; in versibus pangendis præterea ita excelluit, ut M. Ant. Muretus acerrimus harum rerum judex ei inter Italos palmam detulerit. Obiit in patria XIII Kal. VIIIb. annos natus LVII ad S. Martini sepultus. Hic pariter Græcè, Latinéque eruditissimus in Aula Rom. toto vitæ curriculo versatus, ac tribus ordine pontificibus charissimus, Cardinalibus Tridentini Synodi interpretibus à secretis fuit; ac multa vernaculâ linguâ lusit, & fratre junior (nam tantum XLVII annum attigerat) ad meliorem vitam Romæ migravit XIV Kal. Mart. ad S. Salvatoris in Lauro ab Altilio fratris F. conditus.

Hos secutus est *Ioannes Guinterius* Andernaci Ubiorum oppido natus, qui cùm Daventriæ & Marpurgi litteras didicisset, primùm Gosellariæ Ludi moderator ac dein

dein linguæ Græcæ Lovanii professor fuit, inde Lutetiam profectus cum Gulielmo Budæo & Ioanne Lascare, quos juvenis jam senes coluit, magna conjunctione vixit, & Francisci liberalitate, commendante eum Ioanne Bellaio Cardinale eximio litteratorum omnium ac præcipuè Germanorum fautore, medicinæ lauream adeptus, ac medicus Regis salutatus est; postremò cùm Divioduri Mediomatricum, exardescente per Galliam civili bello, aliquandiu Medicinam fecisset, Argentinam tandem concessit, ubi relictis compluribus ingenii sui monumentis, octogenario major hoc anno VI Non. IXb. in vivis esse desiit.

Benedictus Aretius inter suos plerisque scriptis editis clarus, Bernæ in patria XI Kal. Mai. haut ita senex decessit. Et ante eum ineunte anno, *Ioachimus Vestphalus* Hamburgi; contra quem Beza tam animosè stylum exercuit.

Cyprianus Leovicius Tabulis Astronomicis diligenter putatis & Ecclipsium

descriptionibus insuper editis, quas ad annum usque CIↃ IↃCVI perduxit, hoc etiam anno admodùm senex Augustæ Vindelicorum decessit XII Kal. Iun.

Extremo demum anno prid. Eid. Xb. jam affectâ ætate, Regiomontii in Borussia ultimum diem clausit *Hermannus Cruserius* Campensis, qui consiliarii primarii officio diu apud Clirensem ducem defunctus, cum Helionora filia Alberto Friderico Borussiæ duci desponsata, ad maritum proficisceretur, ei comes à patre attributus fuerat. Medicæ scientiæ cùm initio operam dedisset, multa Galeni Latinitate donavit, & postea juri Civili omnino se addixit, & ægritudine ex filiæ obitu contractâ, quò se solaretur, novam Plutarchi Translationem, dum Xilander in eadem laboraret, fecit, quæ magno in precio habetur. Mortuo perhonorificè in majore urbis Templo, ubi conditus fuit Helionoræ jussu, justa persoluta sunt.

Ante

Ante eos omnes eodem anno VI Eid. Febr. Genevæ, cum tantum XXXVIII annos exegisset, fato functus est *Enimundus Bonefidius* Chabowii ignobili vico in Valentino agro apud nos natus, homo probus & simplex, qui cum pedem patriâ nunquam extulisset, tamen Hebraicis, Græcis & Latinis litteris ita egregiè instructus erat, ut in celeberrimis orbis Academiis operam studiis dedisse sub præstantissimis magistris crederetur; in juris autem scientia, quam Valentiæ profitebatur, adeo excelluit, ut Iacobus Cujacius, qui principatum illius tenebat, alicubi scripserit, si moriens rogetur, ut olim Theophrastus, non alium habere se, quem discipulis suis posset ostendere. Post tumultum Parisiensem à Francisco Hotomano invitatus, Genevam concesserat, ubi jus Orientale, cujus jam specimen aliquod ediderat, majori opere illustrare aggressus, morte post biennium superveniente, spem de se tanto viro autore conceptam fefellit. Cui me nunc tanquam

tanquam præceptori de me ſecundum ipſum Cujacium & Franciſcum Roaldeſium, quibus ſimul eodem tempore operam Valentiæ navavi, optimè merito hoc monumento parentare æquum juſtumq; duxi.

Nec ſilentio præteriri debet vel Poëticæ, in qua excelluit, reſpectu, *Reginaldus Clutinius Flaviniacus*, nobili familiâ ac Senatoriâ Lutetiæ natus, qui fratrem habuit Henricum Oiſellium legatione Scoticâ militari virum inſignem, qui & Romæ jura Regis per pueritiam ejus admodum labefactata animi præſentiâ & imperterrito atque obfirmato ad conſtantiam adfectu reſtituit, ſicuti ſuo loco demonſtravimus; & poſtremo ibidem deceſſit, ad S. Ludovici honorificè ſepultus; à Ioanna Caſtanea Rupipozæa uxore erecto ei inſigni monumento. Reginaldus autem diverſo a fratre inſtituto, vitam ſolitariam ferè amplexus eſt, & unum & alterum elegantiſſimum carmen reliquit è multis quæ perierunt; quæ, qualis quantuſque

tusque in eo scribendi genere esse potuerit, abundè apud doctos fidem faciunt. LXb. mense Lugduni tum senex ad Deum migravit.

His merito suo accensebitur *Ioannes Versosa* Cæsareæ Augustæ in Hispania Tarraconensi honestis parentibus natus, qui Lutetiæ Parisiorum admodùm juvenis litteras Græcas, dein & accenso inter Reges bello, Lovanij magnâ auditorum frequentiâ docuit, & Ratisbonam in Aulam Cæsaream profectus, inde Didaco Hurtado Mendozæ, & ad Concilium Tridentinum Cæsaris legato in contentione de Synodo Bononiam transferendâ egregiam operam navavit; & cum ille Senensium reipub. præpositus esset, sub eodem civibus minùs grato ad componendos dissidentium animos plurimum solertiâ suâ contulit, & unus effecisse creditur, ne citiùs Senenses morosam præpositi severitatem perosi ad extrema consilia descenderint. Inde in Angliam sub id tempus venit, quo Philippus Mariam

in uxorem duxit, & postea Romam missus est, in urbe morari jussus, ut testimonia ad jura regnorum Philippi spectantia undique conquireret ac describeret, totque rerum ac negotiorum tractatione cum innatam naturæ prudentiam admodùm exacuisset, ejus quoque non vulgaria præcepta versibus, quibus inter occupationes serias pangendis plurimùm semper delectatus est, passim inspersit, qui Panhormi in Sicilia Epistolarum titulo publicati sunt; tandem cum LI ætatis annum attigisset, exeunte Febr. decessit.
Dispar studio, tamen ob excellentiam artis, quam historiâ accuratè & eleganter scriptâ illustravit, *Georgius Vasarius* meruit, ut inter viros ingenio & litteris pręstantes accenseretur. Is Arretij in Etruria natus, pictor & architectus nostrâ ętate excellentissimus, diu magno Etrurię duci Cosmo omnium liberalium artium, inter quas pictura & architectura ut referretur obtinuit, fautori eximio navavit, editis passim ingenij sui ad stupendum omnium specta-

ſpectaculum monumentis, & tandem hoc anno climacterico ſuo V Kal. Vtil. vivis exemptus eſt. Exinde ſicuti teſtamento caverat, Florentiâ, ubi deceſſit, Arretium in patriam tranſlatus. Quo loco, in principali ſecundum ſedem Epiſcopalem templo, in ſacello ab ipſo juxta ſumptuoſo & admirando artificio extructo, ſepultus.

CIↃ IↃ LXXV.

EOdem hoc anno Romæ ad Deum migravit XV Kal. Apr. M. *Antonius Boba* Caſalenſis, ob fidam Philiberto Emanueli Sabaudiæ duci navatam operam in cauſſa Montisferrati Principatûs, quâ tamen Caroli V Cæſaris judicio cecidit, ejuſdem Philiberti commendatione in collegium Cardinalium ante decennium cooptatus, qui Poëticâ fælicitate & eleganter ſcribendi ac loquendi facultate inter alias animi dotes, nec non arctâ, quæ

mihi licet admodùm Iuveni cum illo, dum Romæ esset, intercessit, necessitudine meruit, ut ejus heic honorificam mentionem faceremus.

Nec præteriri debet *Bernardinus Rota* non plus generis, quàm ingenii nobilitate illustris, quod ille in Poëtica Latina & Etrusca non exiguâ cum laude exercuit, & cum totâ vitâ litteratos coluisset, exeunte hoc anno Neapoli, ubi natus erat, VII Kal. Ianuar. non ita senex fatis concessit.

Majore curâ dicendi, si ad alia properanti liceret, duo hac ætate Mathematicis studiis insignes viri, *Franciscus Maurolycus Syracusanus* Messanæ abbas, qui scriptis suis præclaras has artes plurimùm illustravit, & *Fridericus Commandinus* nobili familiâ Urbini in Umbria natus, qui ad easdem illustrandas cum exquisitam utriusque linguæ peritiam attulisset, multa Græcorum primus in lucem protulit, ac interpretatus est; gratiâ & favore Francisci Mariæ Urbini ducis excellenti harum scientiarum, quod in principali fastigio

rarum

rarum eſt, cognitione prædīti ſublevatus; quibus in ſtudiis aſsiduus dum Pappi Alexandrini interpretationem adornat, anno ætatis LXVI vivis exemptus eſt, in patria urbe ad B. Franciſci in monumento majorum conditus, & ab Antonio Toronæo oratione funebri laudatus.

Eodem fere tempore & *Mathias Flacius* Illyricus ſummus inter Proteſtanteis Pontificię auctoritatis oppugnator, & ob eandem vehementiam Philippo Melanchthoni præceptori olim ſuo non ſatis æquus, poſt acerbas & ſæpius repetitas inter Auguſtanæ confeſsionis ſocios contentiones, potius laboribus quàm ſenio confectus fatis conceſsit.

Hunc ſecutus eſt *Henricus Bullingerus* Bremogarti Helvetiorum oppido natus, anno hujus ſeculi quarto, Helveticæ confeſsionis poſt Zuinglium & Oecolampadium ſummus propugnator, & illo mortuo, ad Tigurinæ eccleſiæ curam vocatus, ſed miniore quàm doctor ſuus ingenio præditus, in qua cum XLIII an-

 nos

nos exegiſſet, variis ac propè infinitis ſcriptis editis tandem ſenio gravis deceſſit XV Kalend. VIIIbr. à Ioſia Simlero Tigurino viro doctiſſimo, qui non diu ipſi ſupervixit, laudatus, & variis variorum carminibus epitaphiis celebratus.

Fuit & hic annus climactericus & fatalis *Hadriano Iunio Hornano* rarâ utriuſque linguæ, antiquitatis & humaniorũ literarum cognitione, philoſophiæ præterea ac medicinæ ſtudiis præſtanti; quod complura multiplicis doctrinæ ab eo elucubrata monumenta abundè teſtantur; qui cum Harlemi in Batavis ſuis larem poſtremò fixiſſet, obſidione illâ ante biennium memorabili cum familià expulſus, ad Armuidam juxta Mildeburgum in Mattiacis ſe contulerat, ubi cum fruſtra conſilio ac diligentiâ ſuâ concivibus laborantibus opem ferre conatus eſſet, ex cœli mutatione, quod illis craſsius, valetudinem ejus non mediocriter afflictavit, inſuper tædio acciſarum rerum, & bibli-

bibliothecæ instructissimæ imprimis in Harlemi expugnatione direptæ desiderio in letalem morbum incidit, & XVI Kal. Vtil. animam de repub. litteraria optimè meritam Deo reddidit, Mildeburgi curante Petro filio honorificè sepultus.

Iunium præcessit *Gulielmus Canterus* Ultrajecti in Batavis patritiâ familiâ natus, ut patriâ, sic studiorum similitudine conjunctissimus. Nam primis utriusque linguæ rudimentis sub Ioanne Aurato optimo juventutis præceptore Lutetiæ factis, industriâ propriâ tantum postea profecit, ut editis quamplurimis scriptis inter eruditissimos sui sæculi numerari meruerit, plura utique præstiturus, nisi eum ex rerum Belgicarum infausto augurio mœror conceptus, & ex mœrore mors immatura eripuisset, nam nondum XXXIIII ætatis annum expleverat, anno hujus sæculi XLII. IX Kal. Vtil. natus, & V Kal. Iunias hoc anno denatus.

CIↃ IↃ LXXVI.

IN Germania & eodem anno obiit *Guil. Xilander* Augustanus, utriusque linguæ apprimè peritus, & omnis antiquitatis & litteraturæ cum paucis hujus ævi comparandus; ad hæc Philosophicis & Mathematicis studiis clarus, dum vixit cum summâ egestate luctatus, atque ob id fami non famæ scribere existimatus; multa ille magno rei litterariæ bono vivus édidit; plura, quæ promisit, & quâ erat eruditione & ingenio, præstare potuit, publico daturus, nisi immatura mors eum, quippe tantum XL annos exegerat, Heidelbergæ, ubi profitebatur, intemperantiâ vitæ accelerata oppressisset.

Post Xilandrum VI Non. Vcil. *Josias Simlerus Capella* in Helvetiis natus, ultimum vitæ diem Tiguri clausit, cum tantum XLV annos exegisset animi candore,

re, & omnijugâ eruditione præſtans, qui Petro Martyri Vermilio ſucceſſor in Schola Tigurina datus, ſtilum præcipuè in Samoſatenos, Arrianos, Neſtorianos, Eutychianos, Macedonianos &. nuper veluti ab inferis hoc ævo in Polonia excitatos Tritheitas ſtrinxit, aliis ſcientiis egregiè inſtructus, ac præcipuè Mathematicis quas & per ſe percepit, & ſummâ cum laude diu profeſſus eſt, & inſtrumentis ingenioſiſſimè à ſe excogitatis illuſtravit. In bonis litteris & excelluit, & de repub. Helvetiorum commentarium magnâ prudentiâ ſcripſit, ac præterea de Alpibus & Valeſia commentarium edidit; patriam etiam hiſtoriam ab Ægidio Tſchudo viro doctiſſimo vernaculâ linguâ olim inchoatam publico daturus, niſi eo in litteris aſſiduo, & arthritide ac calculi intolerandis doloribus in horas afflicto properata mors & præclarum rei litterariæ juvandæ deſiderium & conceptam de optimi viri laboribus ſpem abrupiſſet. Mortuum

 laudavit

laudavit Io. Gulielmus Stukius.

In Germania proxima *Conradus Heresbachius* vir dignitate & doctrinâ præstans, in majorum ſuorum Heresbachiano caſtro in Clivenſi ditione natus, hoc anno in ſuo Lorinſulano pridie Eid. VIIIbr. ad Deum migravit, cum LXXII annum exegiſſet. Commentarium in Pſalmos eruditiſſimum edidit, & de re ruſticâ in illo otio poſt alios ſcripſit, non minùs morum ſuavitate de ſuis, quàm eruditione de repub. bene meritus.

Annum clauſit *Georgij Ioachini* à natali ſolo Rætici vulgò cognominati mors, Mathematicarum artium ac rei præcipuè aſtronomicæ præſtantiſſimi, quas ſecundum Regiomontanum, Copernicum, Reinoldum maximè illuſtravit. Caſſoviæ in ſuperiore Pannonia pridie Non. Xbreis catharro præfocatus anno ætatis ſexageſimo obiit, cum præter pauca, quæ publico edidit, plura ab admirabili ejus ingenio, quorum indicem in ſuam Bibliothecam Simlerus tranſcripſit, ſtudioſi expectarent.

Romæ

Romæ magni nominis ſive Mathematicus ſive Medicus *Hieronymus Cardanus* Mediolano natus, hoc anno itidem obiit. Varia ejus vita, ut mores; pluraque ipſe de ſe inauditâ in viro litteras profeſſo ſimplicitate, ſeu libertate ſcripſit, quam curioſius quiſquam à me exigat. Romæ eum diverſo ab aliis cultu incedentem paucis ante obitum annis conſpicati & adlocuti ac ſœpius admirati ſumus, cum celeberrimi tot ſcriptis hominis recordatio ſubiret; neque tamen quidquam in eo, quod tantæ famæ reſponderet, animadverteremus; eoque magis Iulij Cæſaris Scaligeri acerrimum judicium ſuſpeximus, qui divinum ingenium ſuum in opere de ſubtilitate exagitando præcipuè exercuit, inæqualitate illius ubique diligenter notatâ, qui in quibuſdam interdum plus homine ſapere, in pluribus minus pueris intelligere videatur. In arithmeticis multa conatus eſt, & invenit. Iudiciariæ quam vocant fidem apud multos ſtruxit, dum certiora per eam, quàm ex arte poſſint, promeret.

Verùm extremæ amentiæ fuit, imò impiæ audaciæ astrorum commentitiis legibus verum astrorum Dominum velle subjicere. Quod ille tamen exaratâ Servatoris nostri geniturâ fecit. Tandem cum tribus diebus minùs septuagesimum quintum annum implevisset, eodem quo prædixerat anno & die, videlicet XI Kalend. VIIIbr. defecit, ob id, ne falleret, mortem suam inediâ accelerasse creditus. Corpus ad D. Andreæ depositum, dein Mediolanum translatum, & ad D. Marci in majorum monumento conditum est.

CIↃ IↃ LXXVII.

OBiit & hoc anno paucis postquam ex Bloesis discessit, dieb. *Io. Morvillerius* Bloesis honesto loco natus, quondam Aureliani episcopus, qui multis legationibus magna cum laude obitis, maximis in Gallia honoribus se semper parem præbuerat, post Hospitalium, cujus virtutem

tem sæculi iniquitas ferre non poterat, domum relegatum, sigillorum procuratione ornatus, homo probus & prudens, sed innatâ timiditate nunquam generosi consilij auctor, ideoque mediis sententiis potius præsens otium, quàm firmam in posterum pacem sectatus, fundatâ veluti alterâ ab Hospitalio in aula sectâ, cujus adstipulatores eo plures habuit, quòd hi unionis inter Catholicos sarciendæ studio, cuncta factiosorum relligionis causam falsò, vel ipsorum judicio, obtendentium consilia & conata dissimulanda existimarent, cum alteri Guisianorum ad altiora tendentium odio, pacem quâvis ratione colendam suaderent, eâque re Protestantium causæ favere crederentur. Morienti astitit Pomponius Belleureus summus ejus prudentiæ ac consiliorum sectator, qui mortuo in Franciscanorum æde, sicuti testamento mandaverat, sepulto honorifico elogio parentavit.

Hunc paucis diebus præcessit VIII Eid. Maij *Huldericus Viglius* ab Ayta Zuiche-

 mus

mus in Frisia natus, & ob raram juris civilis peritiam primùm multis dignitatibus à Carolo V ornatus, dein ob majorem in rebus agendis laudem à Philippo ejus filio consilij privati præses, ac postremò velleris aurei Cancellarius creatus; qui cum initio Belgij libertatem defendere visus esset, eoque nomine gratiam suorum promeritus, postea ad Hispanorum partes inclinare creditus, in Ordinum odium incurrit, & inter suspectos anno superiore captus est, sed in liberiore custodia habitus; ubi tum (nam Bruxellis fortè eram) eum officiosè invisi, & multa de conversione Belgij ex his motibus præsagientem audivi, quibus excusari volebat, quòd Hispanorum partibus favere diceretur, cum de Regia majestate, quam everti his unionis initiis providebat, sartâ tectâ servandâ tantum cogitaret, ceterum ab Hispanorum immanitate, superbiâ, & avaritiâ, sic enim loquebatur, alienus: vir alioqui omni laude & propter integritatem & summam prudentiam dignus.

dignus. Sed cum in ea tempora incidisset, in quibus nihil medium putabatur inter patriæ salutem, aut obedientiæ regi debitæ fidem, haut mirum, si ille, qui tot beneficiis & honoribus virtuti suæ delatis regi devinctus erat, in obsequio & fide, quâ salvâ rempublicam quoque aliquando salvam sperabat, manere elegerit.

. Huic ut comes addatur, vel ejusdem, in qua inter Hispanos excelluit; legum & juris præcipuè & Pontificij doctrinâ meruit *Didacus Covarruvias* Tolelanus, qui rectè à puero institutus in Salamanticensi Academia, in prima adolescentia Canonici juris professor, inde Burgis & mox Granatæ correctoris & auditoris munere summâ cum prudentiæ & integritatis laude defunctus; & anno hujus sæculi XLIX. archiepiscopus insulæ S. Dominici in India Occidentali electus, & undecimo post anno Civitatensem episcopatum in Hispania adeptus est, quo eodem anno Salamanticæ Academiæ instaurandæ præpositus fuit, conditis novis legibus, quæ

in

in eâ hodie religiosissimè observantur. Dein ad consilium Tridentinum profe-ctus, post reditum Segoviensis episcopus creatus est, Q. Pij IIII ac Philippi mandatu cum de S. Didaco in beatorum ordines referendo negotium repeteretur, probationes Compluti diligenter collegit; anno demum LXXII regij consilij, & biennio post consilij status præses, post exantlatos cùm in scribendo tum in negotiis tractandis eruditionis & prudentiæ ac integritatis secundâ f mâ innumeros labores, Mantuæ Carpetanorum decessit hoc anno V Kal. VIIIbr. ætatis suæ LXV, bibliothecâ, quam locupletissimam habebat, S. Salvatoris Scholæ legatâ.

Post Covarruviam dicendus venit *Antonius Contius* Novioduno in Veromanduis patre regio præfecto, nam alioqui Civitas Episcopi est, natus, certi judicij & exactæ diligentiæ I. C. vel teste Iac. Cujacio, qui antè XIX annos Avarici Biturigum Professor, postea Aurelianum evocatus in ea Academia jus magnâ frequentiâ

quentiâ interpretatus est, ubi & ei per annum operam navavi; tandem Avaricum Bituricum revocatur, & novâ juris civilis & pontificij editione magnam laudem promeritus, ac plerisque passim ingenij sui monumentis publicatis, quæ in unum corpus aliquando colligi publici boni interest, XVII Kal. IXbr. fere sexagenarius fatis concessit, ad S. Hippolyti juxta Franc. Duarenum, & Eguinarium Baronem juris in eadem Academia professores sepultus.

Eodem tempore *Petrus Danesius* Lutetiæ Parisiorum natus, in Bernardinorum ædibus Lutetiæ, ubi decrepitæ senectutis & ad munia publica jam inutilis nidum posuerat, debitum naturæ persolvit, octogenario major, peritissimus Græcæ linguæ, cujus Francisco I Rege professor fuerat, postea erudiendæ Francisci II Henrici II filij pueritiæ admotus, à quo & post Georgij Sylvæ doctissimi alumni mortem episcopatu Vaurensi donatus est. Is vir in nostra ætate in omni

ſcientiarum genere doctiſſimus nihil ferè ſcripſit, ſed inſtructiſſimam librorum ſupellectilem reliquit, à ſe ſummâ diligentiâ toto longiſſimæ vitæ nec unquam otioſæ tempore notatorum, quæ tamen divendita in uſus pauperum ac diſſipata magno rei litterariæ detrimento periit.

His addam *Ioannem Gorreum* Pariſienſem patre Bituricenſi medico natum, & ipſum excellentem noſtrâ ætate medicum; quam ad ſcientiam exactâ cognitione perceptam etiam utriuſque linguæ ſummam peritiam, & raram in utroque ſcribendi genere pedeſtri & ſoluto elegantiam adjecerat; quod præclara ejus monumenta, & Nicander imprimis Latinis verſibus ab illo expreſſus, abunde teſtantur. Sed cum vir ad ſeculi ſui ornamentum & commune reip. beneficium natus, ab omni denique fœdo quæſtu alienus (nam nemo illum doctrinâ, exquiſito judicio, humanitate, curandi felicitate Lutetiæ anteivit) turbatis temporibus lecticâ vectus ad amicum ægrum inviſendum (is erat Gulielmus

mus Viola episcopus Parisiensis) proficisceretur, apparatorib. quos sicarios esse rebatur, lecticam circumsistentibus, tanto pavore exanimatus est, ut quamdiu postea vixit, vixit autem ad annos LXXII, ab eo qui fuerat alius sensimque deficere quodammodo visus sit.

Nec prætermittendus videtur *Remigius Bellaqua* Nongento Retrodi, quod hodie Angianum Francicum vocatur, in Unellis natus; quæ eadem patria fuit Nicolao Denisoto, qui & comes Alsinous vulgo dictus est, & cognomini medico qui summâ doctrinæ famâ ad extremam usque senectutem Lutetiæ Medicinam fecit. Remigius olim Caroli Lotaringi Ellebovij Marchionis præceptor, in Poëtica Latina & Gallica excelluit; sed in Gallica precipue se exercuit, summoque verborum delectu & exquisitâ sententiarum concinnitate versus elaboravit, tantâ curâ adhibitâ, ut quod in illo naturale ac proinde laudatum fuit, in alio affectatum, & ideo improbari potuerit; eumque ob id Petrus

 Ronsar-

Ronſardus naturę pictorem vocare ſolitus erat. Itaque poſt Ronſardum, cui quiſquis ſecundus fuit longè ab ipſo abfuit, proximum locum aut tertium doctorum judicio meruit. Nam alterum locum quidam Ioachimo Bellaio tribuunt: quanquam omnia quę fecit, non eundem laudem ubique merentur, ut de eo ſuo loco diximus. Tandem *Remigius*, cum poſt ruſtica ſua, de lapidibus pretioſis librum pari elegantiâ ſcripſiſſet, quibus tumulum ſibi ipſe ſtruxiſſe quodammodo viſus eſt, ut pulcrè cecinit Ronſardus, vix quinquageſimum annum ingreſſus Non. Mart. Lutetię deceſſit, ſodalium humeris elatus, & ad B. Auguſtini ſepultus.

Hannibal Cruceius patriâ Mediolanenſis, deplorandus an recenſendus poſt eos venit? vir raris ingenij & doctrinę ornamentis excultus, quod vel Achilles Tatius ab eo Latinitate donatus ad poſteritatem non ingratam teſtabitur. Is nobili & antiqua familia natus, ſena tui Mediolanenſi diu à ſecretis fuit, & graſſante in urbe jam

biennium

biennium malo, de quo ſupra diximus, cum placando numini elegantiſſimos verſus, ſeu veriùs ad Deum ardentiſſimas preces quaſi præſagâ mente concepiſſet, morbo ipſo correptus vitam longiore ævo dignam V Kal. VIIIbr. abrupit cum annum LXIX ageret, à Fabritio F. ad S. Mariæ incoronatæ funeratus.

Eâdem credo lue, certe eodem tempore Tridenti ubi domicilium fixerat, abſumptus eſt P. *Andreas Matthiolus* Senis nobiliſſimâ Etruriæ civitate Franciſco Matthiolo & Lucretia Boninſegnia natus, qui annos cum ſæculo numerabat, magni nominis Medicus, & imprimis famoſo illo Botanico opere toties recuſo clarus, qui cum in aula Cæſarea diu magnâ cum laude vixiſſet, ex duabus uxoribus (nam plures alias poſt alias duxit) alterâ quidem Hieronymâ ex nobili comitum Varniæ in Soritia familia Ferdinandum & Maximilianum, ex altera Suſanna Cherubina Tridentina

Perrum Andræam ſibi cognominem, Lucretiam & Euphemiam ſuſcepit, qui paternam gloriam ſive doctrinâ ſive moribus intermori minimè paſsi ſunt. Aliorum è longinquo pænè ſepulta memoria revocanda.

Petrus Nonius Alcazariæ vico haut longè à Setubalia ſive Cetobriga in Luſitania natus, profeſſione Medicus, & Mathematicarum artium peritiſſimus, quas & doctiſſimis de Arithmetica abſtruſiore, Opticâ, & Aſtronomicâ libris editis plurimùm illuſtravit, olim Henrici Cardinalis, qui poſt Sebaſtiani mortem regnum tenuit, præceptor, & Conimbricæ poſtea harum pulcherrimarum artium profeſſor, hoc anno morte maturâ, quippe jam octogenarius, placide ad Deum migravit, relictâ bonorum & tanti nominis hærede unicâ filiâ.

Cum paulò ante eum *Ioannes Barroſius* Oliſſiponæ, ubi natus erat, deceſſiſſet, fere ſeptuagenarius, Indicâ hiſtoriâ ſummâ fide conſcriptâ bene de ſuis ac omnibus,

nibus, qui harum provinciarum famâ tantùm olim notarum cognitione delectantur, meritus; quæ in duas decadas primùm diſtincta eſt, cui tertia poſt mortem auctoris ab hæredibus publicata acceſſit.

Ex eadem Luſitania ſupereſt *Lud. Andreas Reſendius* Eboræ honeſtis parentibus natus, Poëta, orator ac Theologus & melioris antiquitatis valdè peritus, qui Lovanii ſtudiorum aliquandiu operam in litteris navavit, magnâque ſtudiorum conjunctione cum Damiano à Goes cive ſuo vixit; pleraque ſcripſit, & conſilio ſuo alios in ſcribendo juvit; Ambroſio Morali & Kebedo Totelano, ac denique Ioanni Vaſæo Brugenſi multa ad hiſtoricas antiquitates illuſtrandas ab iis conſultus ſuggeſsit; tandemque in Henrici Infantis Portugalliæ Cardinalis familiâ jam ſenio gravis circa hæc tempora defecit.

Hoc & anno *Adamus Bodenſteinius* Philippi Aureoli Theophraſti Paracelſi ho-

hominis novitate ſcientiæ, quæ innatâ ingeniis humanis curioſitate quampluri-mos ſectatores habuit, quàm rectâ Phi-loſophandi ratione clarioris, ut primus, ſic fidus, ſcituſque & ore & opere in-terpres; homo liber Baſileæ ſolo cæloque libero exuvias mortalitatis bonâ fide de-poſuit; hoc enim elogio ſibi parentari voluit, ætatis hebdomade ſeptimâ, haut paulò magiſtro illo ſuo annoſior, qui licet novâ Medicina ſua non ſolùm in-curabilium morborum plenam ſanatio-nem, ſed etiam vitæ producendæ artem profiteretur, anno hujus ſæculi XLI, æ-tatis XLVII, vitam huc illuc intempe-ranter actam vagando obſcurè fini-vit.

CIↃ IↃ LXXVIII.

NEc ſilentio præteriri debet, quando de clarorum virorum mortibus ſermo incidit, *Laurentius Surius* patriâ Lubecenſis profeſſione Carthuſianus, vir pietate & candida ſimplicitate præditus, cui Conciliorum editionem ſingulari diligentia elaboratam & S S. vitas bona fide deſcriptas debemus, qui tot laboribus pro repub. Chriſtiana exantlatis defunctus Coloniæ in cella ſua placidè ad Deum migravit X Kal. Iunias.

Eum paulò poſt ſecutus eſt *Gerardus Falcemburgius* Noviomago in Sicambris natus, in aula Bentomii Comitis quem aſſectabatur, Steenvordiæ VIII Eid. VIIbr. extinctus immatura morte, quippe cum tantùm quadrageſimum ætatis annum ageret, vir inter omnes Belgas litterarum

Græcarum rara cognitione præſtans: quod cum alia ejus monumenta, tum præcipuè Nonni Panopolitæ ab ipſo procurata & illuſtrata editio apud æquos harum rerum æſtimatores abundè teſtatur.

Sub id apud nos *Antonius Mizaldus* Monlucione in Boiis natus, profeſſione Medicus, Philoſophiæ & artis ſuæ ſtudiis clarus, quam alioqui Lutetiæ ſummè lucroſam naturæ arcanis ſcrutandis homo totâ vitâ intentus ferè neglexit, & editis compluribus raræ doctrinæ & judicii ſcriptis quæ à rerum peritis nunquam negligentur, in ea urbe conſenuit, ac denique hoc anno debitum naturæ perſolvit.

Obiit & hoc anno, qui fuit ei climactericus, menſe VIIbr. *Petrus Leſcotus Clanius*, familiâ nobili ac Senatoriâ Lutetiæ natus, qui cum à puero litteris operam daret, totum ſe Mathematicis diſciplinis mancipavit, quas doctore Petro Poſtello, magnâ felicitate percepit, & cum

cum studio naturâ insito pingendi artem pari felicitate excoluisset, ad architecturam præcipuè animum appulit, in qua supra omnes hujus ætatis (absit invidia dicto) architectos excelluit, ingeniique sui insigne specimen dedit, cum aliis ædificiis privatorum, tum maximè Luparensibus regiâ magnificentiâ à se designatis, quæ utcunque inchoata, neque dum consummata cuncta palatia Italiæ, quæ maximè hujusmodi structuris luxuriat, stupendi operis magnitudine & elegantiâ, vel Italorum ipsorum confessione superant.

In ultimus dicetur *Alexander Picolomineus* Æneæ Sylvij, qui Pontifex Pius II dici voluit, gentilis, Angelo patre & Hippolytâ Sanctiâ matre Senis natus, cujus civitatis cum jam Patrarum Archiepiscopus esset, virtute suâ meruit ut designaretur itidem Archiepiscopus. In eo erat præter suavitatem morum cum seriâ gravitate conjunctâ rara & exacta omnium laudandarum disciplinarum cognitio, quas & scriptis multiplicibus ferè verna-

culis illustravit, Aristoteli præcipuè addictus, ad cujus perspicuam intelligentiam propriâ industriâ multum contulit, tandemque hoc anno IIII Eid. Mart. septuagenarius decessit, in majore patriæ urbis templo sepultus, & honorifico à Io. Baptista æditio, Deiphobo Archipresbytero aliisque fratribus elogio ornatus.

Picolomineo qui comes addatur, insigni doctrinâ & probitate meruit *Io. Baptista Rasarius Petri* F. oppido quod à Vallæ Uziæ in Novariensi diœcesi sito nomen retinet, familiâ nobili natus. Mediolani prima litterarũ tyrocinia fecit & Philosophiæ ac Medicinæ studiis diligenter incubuit, jamque tum Philippo II cum ex Hispaniis veniens superstite Carolo V patre per Italiam in Germaniam tenderet, ob eximias ingenij dotes innotuit; inde Venetias evocatus, artem dicendi, in qua excelluit, XXII annos professus est, arctamque cum Sigonio, P. Manutio, Mureto nostrate, & Octaviano Ferrario, quem & Ticini Logices præceptorem habuerat, ami-

amicitiam coluit, totoque illo tempore vertendo Galeno, & Aristotelis aliquot interpretibus Græcis egregiam operam navavit, Sereniss. illi reip. acceptissimus, cujus & memorabilem ad Echinadas partam de Turcis victoriam luculentâ oratione laudavit. Tantum decus Venetiis Philippus postremò invidit, & in Lusitaniam, ut in Conimbricensi schola doceret, optimis condicionibus primò invitatus, cum se ob ætatem excusasset, tandem ut Ticinum iret, ab eodem qui jubere poterat, rogatus, principe suo, cujus beneficio Hieronymi fratris in vincula conjecti libertatem & bonorum fisco jam addictorum restitutionem debebat, non potuit non obtemperare, in eâque urbe, postquam eâdem quâ Venetiis celebritate artem dicendi totum quadriennium docuit, febri malignâ correptus, hoc anno paullùm major sexagenario VIII. Eid. IIXbr. defecit. Nullâ intemperantiæ suspicione toto vitæ, quam cœlibem egit, curriculo notatus est. Ingenui ac verè liberalis viri

ad bene merendum de omnibus nati, qui erga pauperes benignus, ægrotos nullâ mercede curabat, egenos etiam ut pater ſuſtentabat, funus cuncti civitatis ordines ad B. Auguſtini, cujus medio in ſacello conditus eſt, inſigni ac luctuoſâ pompâ proſecuti ſunt. Multa ejus opera quæ lucem non viderunt, in illuſtriſſimi & pietate ac doctrinâ præſtantiſſimi Cardinalis Borromæi Bibliothecâ Mediolani exſtare dicuntur, quæ ut aliquando edantur, optandum eſt, & à tanto præſule minimè deſperandum.

CIↃ IↃ LXXIX.

COmmemorandi veniunt duo doctrinâ præſtantes viri *Joannes Hartungus* Miltenbergi ad Mœnum in Franconia natus, qui Heidelbergæ primùm, dein Friburgi Briſgoiæ litteras humaniores Græcas magna cum laude profeſſus, etiam ſcriptis excoluit; & *Eraſmus Oſualdus* in

Pannonia

Pannonia ſuperiore, quæ hodie Auſtria eſt, ortus, qui primùm in patria, dein Ingolſtadij, Lipſiæ, Baſileæ, ac Memingæ, ac poſtremò Friburgi itidem profeſſus eſt, Mathematicarum artium, quas & ſcriptis illuſtravit, & pariter linguæ ſacrę ſcientiâ, exemplo Sebaſtiani Munſteri præceptoris ſui, clarus, ut amicitiâ ac domicilij ejuſdem ratione, ſic et tempore mortis cum Hartüngo conjunctiſſimus, eoque ſeptennio minor deceſſit.

Paulo poſt *Ioannes Stadius* Antuerpianus utroque junior, quippe annos tantùm LIIII natus, Lutetiæ Pariſiorum naturæ debitum perſolvit prid. Kal. IXbr. Mathematicarum artium ſcientiâ cum primis clarus, & inſigni ephemeridum ab anno *CIↃ IↃ LIIII* ad annum *CIↃ IↃ CVI* ſummâ diligentiâ putatarum opere toto orbe celeberrimus. Is primo Lovaniæ profeſſus, poſtea cum apud nos promulgatâ profeſſione Ramæa, plerique præmio honorifico ad pulcerrimam concertationem invitati eſſent, & ipſe Lutetiam venit, & eâ

ætate

ætate cum junioribus ſe, & imprimis cum Mauritio Breſſio Gratianopolitano in pulverem hunc deſcendere minimè dubitavit, & judice & auctore Franciſco Foxio Candalla illuſtriſſimo ſimul ac doctiſſimo viro, qui actioni interfuerat, brabeion cum adverſario ſummâ animi æquitate partitus eſt; ſed nonnihil de tanta laude delibavit, quòd dum proceribus noſtris in aula tam viris, quàm fœminis abſconſa, incerta, atque adeo futurorum eventa curioſiùs rimantibus nimis ſe morigerum præbet, à recta ac certiſſima ſcientiarum, quas profitebatur, via deflectere quodammodo viſus eſt, & Mathematicorum, ut olim Cæſarum temporibus, nomen odioſum ſimul ac deteſtandum reddidit.

His addam *Ludovicum Regium* Conſtantienſem, qui utrâque linguâ doctiſſimus, cum ad eas etiam diſciplinarum omne genus adjunxiſſet, patriæ linguæ ornandæ & excolendæ animum applicuit, & Platonem ac Ariſtotelem libris com-

compluribus eorũ translatis Gallicè loqui docuit, cõmentariisq; eruditissimis explicavit; ac postremò dum mentè à vilium rerum cogitationibus abductâ, rem domesticam negligit, qui neminem totâ vitâ superiorem ferre potuerat, jam senex alienâ quadrâ vivere coactus, luctuosâ quidem reip. litterariæ, ceterùm minimè ipsi importunâ morte ereptus est.

In Italia paulò ante V Kal. Vtil. *Io. Baptista Hadrianus* patritiâ gente natus, Florentiæ obiit ad S. Francisci extra muros sepultus, cum annos LXVIII explevisset, vir litteris egregiè excultus, qui Fr. Guicciardini post antiquos nemini meo judicio posthabendi historiam accuratâ diligentiâ persecutus est, hoc est ab anno hujus seculi XXXVI res in Italia gestas ex commentariis plerumque ut apparet, Cosmi magni Etruriæ ducis ingentis animi, ac profundæ prudentiæ principis luculento opere explicavit, ex quo multa me sumpsisse, atque adeo plura quàm ex quovis alio in hoc opus

transſtuliſſe ingenuè profiteor; incorruptum quippe judicium in iis quæ perſpecta habuit, & fidem cum candore ac ſynceritate animi ſummâ conjunctam in hoc ſcriptore deprehendiſſe mihi viſus, ut mirer eum minore inter Italos, quàm par ſit, in pretio haberi.

CIↃ IↃ LXXX.

PRimus dicetur *Hieronymus Wolfius* Oetingæ in Rætia natus, exactâ linguæ Græcæ cognitione clarus, qui, perluſtratis in adoleſcentia Galliæ & Italiæ Academiis, cum ſe Auguſtam Vindelicorum tanquam in tutiſsimum ſtudiorum nidum contuliſſet, eas maximè ſcriptis & induſtriâ ſuâ illuſtravit, Fuggerorum liberalitate ſublevatus, quorum munificentiæ Zonaram, Nicetam, Gregoram primarios hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ ſcriptores ab illo ſummâ fide Latini-

Latinitate donatos debemus, ubi & litteras Græcas in Annæa ſchola magno auditorum concurſu profeſſus eſt, tandemque cum ætatis annum ſexageſimum quartum ageret, ex calculo litteratis ferè fatali VII Eid. VIIIbr. intempeſtivâ magis reip. quàm ſibi morte ad Deum migravit. Huic Hainzelii fratres Germani VI viri Io. Baptiſtæ filii egregio ad Dominicanorum monumenta parentarunt.

Wolfium paullò poſt ſecutus eſt *Immanuel Tremellius* Ferrariæ patre Hebræo natus, linguæ Hebraicæ peritiſsimus, qui cum Lucam cum Petro Martyre Vermilio & aliis in occulto Proteſtantium doctrinæ addictis conceſsiſſet, poſtremò Italiâ omnino relictâ, cum ipſo Vermilio ac ſociis in Germaniam venit, ſicuti ſuo loco diximus, & Argentinæ primò domicilium fixit, deinde in Britanniam, potiente rerum Edvardo VI, tranſmiſit, quo mortuo Germaniam repetiit, & in Schola Hornabachenſi ſub duce

Volfango Bipontino qui apud nos decessit, aliquando docuit, unde Heidelbergam ad professionem Hebræam evocatus est, ubi Syriacam Novi Testamenti interpretationem latinitate donavit, & postea novam veteris fœderis ad Hebraicæ veritatis fontes examinatam translationem molitus est, socio tanti laboris ascito Francisco Iunio Biturige, qui post Tremellii obitum eandem editionem in opere alieno plus justo ingeniosus recensuit, & additis multis auctiorem potius quàm meliorem judicio multorum reddidit; relictâ postremò Heidelbergâ Diviodurum Mediomatricum, ubi olim cum ex Italia veniret, uxorem duxerat, concessit, unde Sedanum Bullionii principum sedem evocatus, ut in Academia nova linguam Hebraicam profiteretur, septuagenario proximus tandem defecit.

Nec multo post III Non. IXbr. in Hispania Cæsaraugustæ, quæ illi patria erat, *Hieronymus Surita* cum ętatis annum

num LXVII ageret, debitum naturæ persolvit, vir ingenii omni doctrinâ instructi elegantiâ clarus, & prolixo ac laborioso patriæ historiæ opere à se edito, nec non Antonini Itinerario variis lectionibus potius quàm commentariis illustrato, ac post mortem ejus ab Andræa Schotto publicato de patria & litteris optimè meritus, in quo id solum desiderari, imò deplorari potuit, quòd judicum violatæ fidei, quos vocant, à secretis fuerit, & cum inter suos doctissimus haberetur, & ad promerendam omnium gratiam quasi natus videretur, tamen consilióne ad privatam securitatem, an gentis fato ad tuendam dignitatem incertam, tam inhumano & longè studiosis infestissimo muneri suam industriam addixerit.

Ante Suritam *Alvardus Gomecius* Eulaliæ sexto à Toleto lapide natus, cum ætatis annum LXVI ageret, vitam cum morte commutavit XV Kal. VIIbr. qui opere de vita Ximenii Cardinalis, cui

 tantum

tantum non ſolùm ſua Hiſpania, ſed totus orbis Chriſtianus debet, ob Bibliorum luculentam illam in mediis ignorantiæ tenebris editionem ſuo ſumptu procuratam, pari prudentiâ & elegantiâ ſcripto ſummam gratiam à ſtudioſis inivit.

Hieronymus Oſorius mihi, dum Luſitana enarrarem, pænè exciderat, hîc proprio magis loco commemorandus, qui adoleſcens cum litteris operam in Italia dediſſet cum Ant. Auguſtino & Ioanne Metello, Metellario Sequano I.C. in patriam reverſus, primùm Silvenſis, dein Algarbiorum Epiſcopus fuit; tum ſcriptis quæ multa & varia puriore ac florido ſtilo exarata, dum vixit, paſſim dedit, & poſt ejus mortem Hier. ex fratre nepos Romæ publicavit, tum vitæ ſanctioris exemplo non ſolùm ſuis, ſed toti Chriſtiano orbi utilis, atque ad extremum in munere ſuo aſſiduus placidè ad Deum migravit, eo felicior pleriſque exiſtimatus, quòd qui Caſtellenſium arma

ma Lusitaniæ annus intulit, idem ipsum, ne patriæ excidio superesse cogeretur, Lusitaniæ abstulit.

CIↃ IↃ LXXXI.

EOdem hoc anno III Non. VIIIbr. Lutetiæ obiit immaturâ morte *Iacobus Billius Prunæus*, Sanmithaëliani cœnobii in Eremo antistes, vir non plus nobilitate, quàm propriâ virtute ac vitæ sanctimoniâ & doctrinâ ab omni fuco alienâ, linguæque Græcæ exactâ cognitione clarus, quam in veteribus patribus illustrandis præcipuè exercuit, qui arthritidis doloribus attenuato corpore, ferè in medio vitæ curriculo, quippe vix XLVII annum ingressus, in eâdem quâ vixerat, piâ animi tranquillitate ad Deum migravit.

Post quem commemorandus venit longè dispar & pietate & ingenio, sed fortasse haut minore famâ *Gulielmus Postellus*,

ſtellus, Barentoni vico in Neuſtria loco ignobili natus, qui Philoſophiæ & Mathematicarum artium ſtudia primùm profeſſus, & inde longinquis peregrinationibus linguarum externarum ac maximè Orientalium cognitionem adeptus, innumera exotici guſtûs ſcripta paſſim in Italia, Germania, & apud nos edidit, & cum Venetiis eſſet, virginis vetulæ cujuſdam familiaritate uſus, in errorem delirum juxta ac deteſtandum de fœminei ſexûs ſalutari reparatione nondum conſummatâ incidit; quem domum reverſus inter prælegendum publicavit & defendit; verum accuſatus à Theologis & à Magiſtratu increpitus, tantùm pro pœna omni prælectionum uſu ad tempus interdictus eſt. Sed cum rurſus prælegendi pruritu tangeretur, retractationem, libello ad Reginam parentem directo, anno hujus ſeculi LXVI complexus eſt, quâ non tam errorem fatetur, quàm interpretatione per fanaticos ſenſus detortâ eludit; rurſuſque dum Mathematica rudimenta,

rudimenta, quod illi permissum erat, auditoribus publicè interpretaretur, eandem quæstionem reposuit, ob quam interdicto planè in posterum publicarum prælectionum usu in Monasterium Sanmartinianum Lutetię religatus est, ubi centenario proximus, & ut ipse credi volebat, impollutam à congressu Venereo naturam professus, cui robustæ adeo sanitatis constantiam tribuebat, tandem quarto post Billium die decessit.

Nec prætermitti debet *Hubertus Languetus* Vitellij in Æduis natus, vir doctissimus & humanissimus, ac rerum Germaniæ, in quâ ferè totam vitam contrivit, & ubi mihi arcta cum eo amicitia fuit, peritissimus, & summus Ioachimi Camerarij amicus; qui cum Augusto *Saxoni* VIIviro operam suam addixisset, & præcipui consiliarij officio apud eum diu defunctus in suspicionem venisset, quasi epexegesis de cœna Domini â Gaspare Pevecto & aliis juxta Helveticam confessionem disseminatæ consilio participasset,

ſet, ab ea aula diſceſſit, & ſe ad Arauſionenſem contulit. Apud quem dum graviſſimis negotiis explicandis, quibus par illius animus erat, ſedulò incumbit, morbo correptus anno climacterico ſuo, prid. Kal. VIIIbr. Antverpiæ deceſſit.

Ante Languetum *Andræas Papius* Gandenſis, utriuſque linguæ ac Muſicæ Poëticæque peritiſſimus, quod pauca ejus ſcripta apud poſteritatem teſtabuntur, Lævini Torrentij ſummi & dignitate & eruditione viri ex ſorore nepos, Leodici dum per Caniculæ æſtûs nocte ſilenti corpus natatu in fluvio ſubjecto exercet, meando, remeando, tandem fatiſcens admodùm juvenis defecit; triduo poſt ad B. Lamberti cujus Collegij ſodalis erat, ſepultus, & à Iano Gulielmio Collegâ veris lacrymis deploratus.

Poſt hos *Petrus Ciaconus* Toleti in Carpetanis natus, Romæ ultimum diem clauſit, VII Kal. IXbr. ętatis anno LVI, in B. Iacobi æde, cui inſtructiſſimam Bibliothecam legavit, ſepultus. Vir exquiſitâ in omni

omni ſcientiarum genere, antiquitatis & omnis politioris litteraturæ cognitione clarus, & quem unum video ex omni litteratorum qui ævo noſtro innotuerunt, numero, qui Æmaro Ranconeto noſtro comparari poſſit; nam nihil ferè vivens ſcripſit, & pauca poſt mortem ab amicis edita extant; ſed crebra illius & honorifica in alienis ſcriptis mentio exactæ & reconditæ ejus, ut in Ranconeto, doctrinæ apud poſteros fidem facit.

Nunc ordine Italos recenſebimus. Ac primùm inter eos *Ioannem Baptiſtam Camotium* Aſulanum, ex veteri in eo oppido familiâ ortum, qui linguarum etiam Orientalium cognitione inſignis, ac Græcæ præ aliis peritiſſimus, cum Medicinæ operam dediſſet, omiſſis ejus experimentis, ſub Iulio III Bononiæ in Schola Hiſpanienſi publicè Philoſophiam profeſſus eſt. Dein ſub Paulo IIII Maceratæ in Piceno eandem profeſſionem exercuit; poſtea à Pio IV Romam evocatus Patrum Græcorum ſcriptis interpretandis incu-

buit, ac tandem hoc anno XIII Kal. Apr. in urbe anno ætatis LXVI è vita demigravit; Timotheo filio superstite. Multa scripsit, ex quibus tantùm Orationes sparsim variis temporibus habitæ, dum vixit, editæ, & Commentarij Græci in Metaphysicam Theophrasti, & translationes è Græco pleræque; plura non edita; quorum indicem ad me Italiâ transmissum longum esset & ad rem superfluum hîc inserere. Romę paulò post decessit, anno suo climacterico, & ad Sancti Salvatoris Laureati sepultus est.

Hubertus Folieta Genuę natus, vir Latinè scribendi facultate pręstans, & in litterario otio elati animi, qui exortis in suâ repub. turbis, novam nec ęquiorum judicio absurdam de nobilium & plebeiarum familiarum distinctione sententiam cum invexisset, dialogis duobus eâ de re linguâ populari publicatis, immane quantùm in se nobilium invidiam concitavit. De cætero, multa elegantissimè & acri judicio scripsit, partim ab ipso particulatim pub-

publicata, partim post ejus mortem à Paulo fratre edita, quę simul edi publicè interest. Is unus nostro ęvo dignus fuit, qui sicuti spem fecerat, historias sui temporis Pauli Iovij vestigiis insistens persequeretur. Verùm per particulas earum potius gustum dare, quàm continuum opus pertexere eum in animo habuisse crediderim, quippe cum ea quæ dedit tam diffusa sint, ut si eâdem ubertate & copiâ cætera scripsisset, res proculdubio in immensum excrevisset. Multa ex eo cùm operi huic inseruerim, ac plerumque verba ipsa (nam quî meliora potuissem?) non solùm ingenuè id profiteri, sed ejus memoriam dignâ recordatione hîc recolere officij mei esse duxi.

Post Folietam *Lucas Pætus I. C.* Romæ honesto loco natus, in patriâ denatus est, VIII Eid. VIIIbr. ad *S.* Nicolai in carcere Tulliano sepultus, in proprio sacello, cum annum ætatis LXIX attigisset. Puriorem antiquitatem & meliorem litteraturam ad Iuris civilis interpretationem attulisse

 creditus,

creditus, pauca tamen in eo genere præstitit, & hanc palmam nostris hominibus reliquit.

Professionis conjunctione Pæto accensebitur *Ioannes Fichardus* qui Huldrico Zazio maximè illustri inter Germanos I.C. Friburgæ Briscoiæ operam dedit; dein Patavii & Bononiæ eandem scientiam professus, Francofurtum, quæ illi patria erat, reversus, in eâque urbe syndici munere XLIV annos magnâ fidei & industriæ laude functus, ibidem septuagenarius decessit, & à Bernardino Rutilio vitas veterum Iuris sapientum descriptas ad ipsum Zazium usque persecutus est: hoc certè facto meritus ut qui tot clarorum virorum memoriam in occulto latere passus non est, silentio minimè prætereatur.

Abstulit & hic annus *Franciscum Portum* Cretâ nobilissimâ Mediterranei maris insulâ Venetæ ditionis ortum, Græciæ suæ magnum nostrâ ætate ornamentum; qui in Renatæ Ludovici XII F. & Herculis II

Ferra-

Ferrarienſium ducis uxoris familiâ quaſi educatus, etiam Ferrariæ litteras Græcas profeſſus, poſt Herculis mortem, Renatâ in Franciam reverſâ, Italiam reliquit, & ut liberiorem doctrinæ quam in Renatæ comitatu imbiberat, profeſſionem haberet, Aureliam Allobrogum conceſſit, & voce ac ſcriptis Græcos autores interpretatus ad ſeptuagenarium annum vitam produxit, in eâque urbe defecit, à Theodoro Beza, cum quo conjunctiſſimè vixerat, carmine epitaphio laudatus.

Annum clauſit *Franciſcus Venerius* Patricius Venetus, qui Philoſophicis ſtudiis innutritus, in adoleſcentia de Voluntate, de Anima, de Fato, vernaculâ linguâ commentarios edidit, deinde in repub. ſuâ honores magnâ integritatis & prudentiæ laude geſſit, & jam ſenex Patavinæ Academiæ inſtaurandæ præpoſitus, editis poſtremò de generatione ſcriptis, ad meliorem vitam migravit.

CIↃ IↃ LXXXIII.

ET ut ad litteris claros viros deveniam, longè maximam resp. Christiana jacturam fecit in morte *Ioannis Maldonati* loco nobili in Bætica Hispaniæ nati, è Sodalitio Iesuitico, egregiè à teneris annis omni litterarum genere exculti, qui ad exactum Philosophiæ & Theologiæ studium singularem pietatem, morum candorem & acerrimum judicium cum attulisset, magnâ cum laude & frequenti omnium ordinum concursu totos X annos Lutetiæ Parisiorum, ubi & eum pueri audivimus, in Claromontana Schola professus est, unúsque in causa extitisse meritò creditur ut Sodalitium illud toti Academiæ valdè invisum, & alioqui jam prudentioribus suspectum, ob tanti viri gratiam ac cõmendationem à Senatu, apud quem lis adhuc indecisa pendebat, tamdiu tolerarentur, & eo usque dum rebus Sodalium in urbe confirmatis, Maldonatus post conciliatam insigni

insigni suâ unius eruditione novo ordini celebritatem à Gregorio XIII Pontifice Romam evocatus est, ubi vir assiduus in studiis & lucubrationibus suis exactè digerendis intentus, ex nimiis vigiliis contracto morbo, decessit VIII Eid. Ian. cum paulùm LVI annum supergressus esset. Nihil vivens publicavit; post mortem ejus, operâ ac curâ Clementis Puteani ex eodem Sodalitio viri doctissimi prodierunt eruditissima commentaria in IV Evangelistas Mussiponti edita, meliora & integriora multorum judicio futura, si superstite auctore edita fuissent; quibus tamen si pari diligentiâ elaboratæ in Acta Apostolorum & Apostolicas Epistolas interpretationes, quas scripsisse illum constat, olim accedant, habebunt profectò omnes docti & pij opus paucis in hoc genere comparandum, & quod unum multorum instar esse possit.

Maldonatum paulò post secutus est *Hubertus Goltrius* patre Virsburgensi Franco-Venloæ in Sicambris natus, cui an-

tiquitas Græca ac Romana secundum Onufrium Panuinum Antonium Augustinum, Fulvium Ursinum, debet plurimum, & qui arte cœlandi ac scriptis propriis ad utramque multum contulit, haut ita senex, vixque annum LVIII egressus, Brugis Flandrorum, ubi larem fixerat, IX Kalen. April. denatus est. Annum clausit mors *Thomæ Erasti* Badenis in Helvetiis nati, qui Philosophiæ & Medicinæ studiis hac ætate claruit, solidis, veris, atque adeo à veteribus proditis utriusque scientiæ primordiis constanter insistens. Itaque & Astrologiam, quæ ex positu astrorum de fortunis hominum decernit, validis argumentis confutavit, & Paracelsiam Medicinam, quæ seu novitate seu vanitate suâ in Germania ac alibi tot ingenia illexit, validis itidem argumentis confutatam acerrimè insectatus est; ad ultimum etiam humanas scientias egressus, Theologica tractavit, & quæstionem de disciplina ac censuris non omnino ex suorum sententia agitavit, unde graves in Helvetiorum Ec-

clesiis

clesiis exortæ contentiones. Tandem sexagenario major, hoc anno Basilieæ, ubi sicuti Heidelbergæ, diu antea docuerat, qui naturam tot doctissimis scriptis illustraverat, naturæ debitum persolvit, prid. Kalend. Ianuar. ad B. Martini sepultus.

CIↃ IↃ LXXXIV.

FUit & hic annus clarorum virorum morte funestus, quorum princeps commemorandus venit *Paulus Foxius* Ioannis Carmanij Comitis F. Archiepiscopus Tholosanus, sæpiùs à me honorificè sicuti par fuit, appellatus, olim in Parisiensi curia senator, postea Anglicanâ & Venetâ, dein & aliis legationibus summâ cum prudentiæ laude fælicissimè defunctus. Ultimis Henrici II temporibus in illa tot innocentum virorum calamitate involutus, sed mox absolutus ac dignitati pristinæ restitutus, sicuti suo loco diximus.

Ex eo tamen cum Pontifici ſuſpectus eſſet, vix tandem ei innocentiam ſuam aſſiduo obſequio approbavit; & cum Oratorem regium Romæ ageret, inter ſacra morbo repentino correptus, optimè meritam de patria & rege animam Deo exeunte Maio reddidit, ætatis anno LVI. Defuncto ad B. Ludovici magnâ pompâ parentatum fuit, VI Kal. Iun. Et M. Antonius Muretus magnum non ſolùm Galliæ noſtræ ſed ipſius Romæ lumen, qui vivum coluerat, mortuum habitâ publicè oratione laudavit.

Foxium ſecutus eſt *Vidus Faber Pibracius* Senatûs Pariſienſis præſes, VI Kal. Iun. vivis exemptus, paucis ante Brabantinum, cujus Cancellarius erat, diebus, elegantiâ & amænitate ingenij quod ingenuis Artibus à pueritia graviter non ſolùm tinxerat, ſed planè imbuerat, & exquiſitâ Latinè loquendi ac ſcribendi peritiâ, quam ſub Petro Bunello imbiberat, clarus, ad quam etiam verſus Gallicos pangendi raram fœlicitatem adjunxerat. Totâ vitâ

maximis

maximis negotiis domi & extra regnum exercitatus, ac præcipuè cum Arnoldo Ferrerio comes Concilij Tridentini celebrationi interfuit; & Henricum regem in Poloniam melioribus quàm rediit auspiciis euntem comitatus est. Tandem is haud paullò Foxio ætate minor, morbo ex mœrore, ut par erat, ex prava reip. administratione ac Antverpiano casu contracto diu conflictatus, Lutetiæ inter Arnoldi Casanovæ fratris & amicorum amplexus obiit, in Augustinianorum proximo cœnobio sepultus. Foxium & Fabrum optimos viros & Gallici nominis studiosissimos eodem mense, quanquam longè dissitis locis, amisisse cùm reip. nostræ luctuosum fuit, tum mihi imprimis, qui eorum amicitiâ semper familiarissimè usus sum, & quibus secundum parentes plurimum debebam; nam me ambo præcipuo amore ac tanquam filium prosecuti sunt, & quicquid doctrinâ & rerum usu valeo, si quid valeo, id utrique libentissimè acceptum fero, idque pro non ingrati animi monu-

mento apud posteritatem testatum volo. Vido morienti cum me sępius requisivisset, quo minùs asſidere potuerim, gravissimâ tertianâ, quà tunc vexabar, prohibitus fui; quâ & effectum, ut chartę ejus, quas fidei meę committere decreverat, huc & illuc disjectę magno rei litterarię damno perierint.

Apud nos & prid. Eid. VIIIbr. optimè meritam de re Christiana ac litteraria animam Deo reddidit Durocorti Remorum *Gentianus Hervetus* Oliveti pago juxta Aurelianã natus anno S. *CIↃ CCCCXC IX*, qui à puero optimis artibus, & utriusque linguę cognitione instructus, primum tyrocinium fecit in erudiendo Claudio Albaspineo, qui postea unus è VI viris ab epistolis secretis Francisco I, Henrico II, Francisco II, & Carolo IX fuit; inde Lutetiam profectus Edvardo Lupseto Anglo in excudendo Galeno à Thoma Linacro Latinè verso desudanti operam addixit, eúmque in Angliam redeuntem secutus, Arturo Polo instituendo à Saris-

berienſi

beriensi matre appositus est, & postea à Reginaldo Polo Cardinali communis matris permissu in Italiam evocatus est, ut Gręcis auctoribus in Latinam linguam vertendis operam daret, ubi ille in tanti viri familia, quę virtutum & omnis civilis cultûs velut officina erat, diu fuit, Polo ipsi charissimus, & summorum in Italia virorum amicitiam, ob raram eruditionem & morum suavitatem promeritus; deinde in patriam rediit, & in Burdigalensi gymnasio totâ tunc Galliâ celeberrimo publicè prælegendo industriam exercuit; rursúsque in Italiam profectus à Polo munificentissimo patrono in clientelam Marcello Cervino, qui postea summus pontifex fuit, id enixè postulanti datus est. Ubi & multa illius sive hortatu seu jussu è Patribus Græcis in Latinum transtulit. Marcellum ipsum ad Concilium secutus, in quo etiam plerasque orationes habuit, & inter eas eruditissimam ac commodatissimam pro honestate matrimoniorum, quæ sanctionibus contra clandestina con-

jugia

jugia postea factis occasionem præbuisse creditur; sacris dein initiatus, Ioannis Hangesti Noviodunensis Episcopi primùm, dein Ioannis Morvillerii, Aurelianensis item Episcopi vicarius sacris ad populum concionibus jocavit, & Carolum Cardinalem Lotaringum ad Concilium Tridentinum proficiscentem postremò secutus est, ab eoque in Sacri Collegii Remensis sodalitium cooptatus, quod reliquum fuit in studiis assiduus exegit. Hujus vita longa & nunquam otiosa meruit ut ei longiori elogio parentarem.

Franciscus Turrianus obiit IX Kal. VIIIbr. vico Errera in diœcesi Valentina Hispaniæ natus, vir in Theologica antiquitate & linguæ Græcæ & Hebrææ peritiâ clarus, cujus quò plura eruditi ingenii monumenta extant, eo pauciora mihi de ipso dicenda sunt; post multa tum à se, tum ex antiquis patribus Græcis edita, jam senior Iesuitico Sodalitio nomen dedit, & in Germaniam pro-

profectus Ingolstadii multa etiam commentatus est, ac contra Ant. Sadeelem præcipuè stylum exercuit; denique Romam revocatus, in schola Iesuitica paulò minor octogenario defecit.

His annumerabo par hominum, qui rem litterariam summoperè juverunt; prior occurrit *Huldricus Fuggerus* Augustæ Vindelicorum natus, & gente inter Germanos clarâ natus, Paulli III olim cubicularius, & postea Protestantium doctrinam amplexus, qui veterum scriptis liberali sumptu comparandis & evulgandis intentus, eâque in re Henrici Scrimgeri & doctissimi typographi Henrici Stephani industriâ usus, cùm rem domesticam negligere à gentilibus argueretur, patrimonii aviti amplissimi administratione dejectus est, unde mærore contracto in melancholiæ morbum incidit, quo ferè totâ vitâ conflictatus est; apud Fridericum III Palatinum VII virum Heidelbergæ receptum sibi delegerat, cui & bibliothecam fidam exilii

ſui comitem moriens legavit XVIII Kalend. Vtil. anno ætatis LVIII.

Hunc præceſſit uno die, cum LIII annos exegiſſet, *Ioannes Sambucus* Timariæ in Pannonia natus, & Viennæ placidè mortuus, profeſſione Medicus, cujus ea fuit in veteribus libris colligendis diligentia, liberalitas in publicandis, ut principibus viris, qui hac re laudem conſecuti ſunt, quamvis in diſpari fortuna, æquari debeat, quod Nonnus Dionyſiacorum ſcriptor, Ariſtænetus, Eunapius, Heſychius Illuſtrius, alii ejus beneficio editi abundè teſtantur; alioqui alienâ quàm ſuâ induſtriâ clarior.

Eodem menſe *Ianus Gulielmius* adoleſcens cultiſſimi ingenii Lubecæ natus, Avarici Biturigum, quò ad magnum Cujacium audiendum profectus fuerat, contracto ex nimiis caloribus morbo, vix ſalutatâ urbe deceſſit, cum nondum XXX vitæ annum attigiſſet; eo magis deplorandâ morte, quod multa, & inter ea novam Ciceronis operum ad M.

S.

S. exemplaria diligentiſſimè collatorum & ampliùs ſexcentis clauſulis ſuppletorum editionem paratam haberet, quam & ego Lutetiæ, dum is ad me familiariter ventitaret, vidi, hactenus magnâ rei litterariæ jacturâ aut diſperditam aut ſuppreſſam.

Ultimus dicetur *Abrahamus Bucoltzerus* Schonoviæ in Batavis natus, opere chronologico magnam gloriam adeptus, qui Franſtadiæ in Quadis deceſſit, XVIII Kalend. Vtil. vix annum LIV egreſſus.

CIↃ IↃ XXCV.

M. *Antonius Muretus* Ratiaſti Lemovicum apud nos natus, naturæ debitum perſolvit prid. Non. Iunias, cum annum LIX egreſſus eſſet, ingenio præſtanti & ad omnia nato præditus, quod in politiori litteratura præcipuè ex-

ercuit, utriusque linguæ peritiâ clarus, & Latinè scribendi facultate insignis, ad quæ omnia acerrimum judicium attulit. Is primùm litteras humaniores Lutetiæ professus, dein Burdigalæ, & Augustæ Ausciorum, Pictavij etiam & Tolosæ juri civili operam dedit, atque inde relicto summo sui apud suos desiderio, in Italiam concessit anno hujus sæculi LIV, & Venetiis ac Patavij sexennium commoratus, postremò Romam amplissimis conditionibus ab Hippolyto Atestino Cardinali invitatus, in illius & post ejus mortem in Aloisii Atestini Cardinalis familia consenuit, majore semper ad eruditionis ac facundiæ præstantiam factâ cum ætate accessione. Mortuum laudavit Franciscus Bencius tanto præceptore dignissimus discipulus coram celebri cætu ad S. Trinitatis in colle Hortulorum congregato, ubi & Muretus testamento condito sepeliri voluit.

Eo senior, atque adeò longævâ ætate id consequutus ut litteras in Italia renascen-

nascenteis & pænè extinctas viderit, *Petrus Victorius* gente patritiâ Florentiæ natus, hoc anno exeunte in patria XIV Kal. Ianuar. obiit, cum annum ætatis XC excessisset, ad S. Spiritûs, quod est Augustinianorum cœnobium, in monumento majorum conditus, qui alterius Petri ex eadem familia ante annos LXX mortui memoriam renovavit, & quantùm ille consilio manuque remp. Florentinam difficillimis temporibus juvit, tantùm ipse ingenio ac stilo rem litterariam illustravit. De quo pauciora eo mihi dicenda sunt, quòd ejus pleraque monumenta extant, quibus humaniores litteras, & antiquos scriptores tam Græcos quàm Latinos magnâ fide ac diligentiâ recognitos explicavit.

Ante Victorium eo longè junior fatis concessit *Carolus Sigonius* Mutinæ natus, ex qua Iacobus Sadoletus, & Gregorius Cortesius Cardinales dignitate & eruditione præstanteis, Marius Molsa, Gabriel Falopius, alii prodierunt; qui cum sub

Romulo Amasæo, litteris primùm operam dedisset, in Baptistæ Egnatij locum, qui Venetiis profitebatur, ad litteras humaniores docendas primùm à Senatu accersitus est, atque inde ad gymnasium Patavinum sibi gradum fecit, ubi cum inæquali longè adversario, sed æqualibus fere partium studiis (contentiones quippe illorum quasi scholam in duas partes sciderant) Francisco Robortello coram voce & scriptis, cum Nicolao Gruchio nostrate absente, quem longè Robortello præferebat, tantùm scriptis diu certavit, tandemque Bononiam concessit, ubi & ultima stipendia fecit, monumentis variis editis ad æternitatem victuris, quibus antiquitatem Romanam, iisdem quibus Onufrius Panuinus, vestigiis insistens, & posteriora tempora unus post omnes maximè illustravit, clarus. Tandem cum mense Augusto Mutinam excurrisset, ut suburbanum in patria senectuti suæ pararet, domum propriam verè ac sempiternam invenit; nam morbo correptus eo loco decessit,

cesſit, cum LX tantùm annos expleviſſet.

His accenſebitur *Sebaſtianus Erizzus* gente patriciâ Venetus, qui egregiè litteris inſtructus primam iuventutem capeſſendis honoribus inſumpſit, inde ad otium litterarium revolutus, omiſſâ repub. ad ſtudia familiaria ſe totum contulit, & opus de nummis antiquis abſolvit; in Ariſtotelis Ethica ſcripſit, Timæum Platonis ſuis Italis dedit, aliaque Philoſophica commentatus eſt; dein quadrageſimum vitę annum ingreſſus, rurſus ad reipub. munia obeunda quaſi vegetior rediit; in quibus cum ad annũ LV aſſiduus fuiſſet, magnâ ut doctrinæ ſic civilis prudentiæ famâ, exacto vitæ curſu defecit.

Paulò antè *Rembertus Dodonæus* Mechlinienſis, qui D. Maximiliano II & Rodolpho II Cæſaribus in Medicina operam navavit, & rei herbariæ meliore quàm à quopiam antea ordine digeſtæ opere præcipuè inclaruit, & poſt ea Medicinam publicè apud Batavos Lugduni magnâ

nâ peritiæ laude professus, anno ætatis LXVIII ad VI Eid Mart. è vita demigravit.

Demum XIIII Kalend. VIIIbr. *Ioannes Molanus* Lovaniensis, & Theologiæ in celebri illâ Academiâ professor, historiæ Ecclesiasticæ, quam compluribus scriptis illustravit, admodùm gnarus, quamvis jam senex, tamen immaturâ morte, quippe nondum editis, quæ plurima affecta habebat, præclaris ingenij sui in eodem genere monumentis, naturæ debitum persolvit, in patria urbe ad B. Petri sepultus.

Ioannes Crato Uratislaviæ in Quadis natus hoc quoque anno fatis concessit, cum ætatis annum LXVII ageret. Is prima studiorum tirocinia in Germania fecit sub Philippo Melanchthone, dein Io. Bapt. Montano præstantissimo Medico operam navavit, sub eoque excellentissimus Philosophus simul & Medicus evasit, gratamque vicem præceptori de se optimè merito rependens, Consilia ejus & alia opera aut correxit aut auxit; aut non edita

publico

publico edidit. Hoc etiam raro fælicitatis exemplo ob eximiam doctrinam, & morum suavitatem cum prudentiâ conjunctam consecutus, ut tribus Cæsaribus patri, filio, ac nepoti, ordine nusquam intermisso consiliarij ac primarij Medici munere semper æquè charus ad mortem usque inservierit, ac tandem in patria placido & optato fine animam deo reddiderit.

Annum clausit mors *Petri Ronsardi* gente nobili in Vindocinis nati, qui inter pueros nobiles in Caroli Aurelianensium ducis familia educatus, & postea in Scotia aliquandiu versatus, inde grandior ad litteras animum appulit, præceptore usus Ioanne Aurato, quas tantâ aviditate simul ac fælicitate percepit, ut præteritæ negligentiæ damnum brevi tempore resarcierit; in Poëtica vero tantum antiquorum, quos nocturnâ ac diurnâ manu versabat, imitatione atque adeo æmulatione profecit, ut præstantissimos æquasse, plerosque ex iis superasse videatur. Nam cum genero-

sos impetus & acerrimum judicium, quod raro accidit, simul à natura haberet, hæc duo ad facultatem Poëticam attulit, & ita naturam arte temperavit, Graiæ Camænæ Latinæque spiritum admiscens, ut post Augusti sæculum, quod, ut in altissima pace, uberrimo ingeniorum proventu floruit, Poëtarum, qui post fuerunt, (citra excessum & invidiam hoc dictum sit) præstantissimus evaserit. Verùm homo ut ingenio, sic formâ & corporis robore insignis, cùm vitâ solutâ licentiosè nimis genio indulgeret, valetudinem firmissimam debilitavit, acerbissimis arthritidis doloribus extremâ ætate conflictatus: Inter quos aliquid Poëticum semper pangebat, quod licet jam tepescente sanguine, pristinam venam redolebat. Natus erat eodem, quo infæliciter à nostris ad Ticinum pugnatum est, anno, ut ipse in Elegia ad Remigium Bellaqueum scribit, quasi Deus jacturam nominis Gallici eo prælio factam, & secutum ex illo veluti nostrarum rerum interitum tanti viri ortu compen-

compensare voluerit. Tandem attenuato doloribus corpore ad Cosmi-fanum in Turonibus cœnobium altero à Cæsaroduno lapide loco amænissimo animam Deo reddidit, V Kalend. Ianuar. etiam dum animam ageret, aliquot piis versibus non pœnitendis factis, qui postea cum cæteris operibus editi sunt; in eo cœnobio, quo à Carolo rege donatus fuerat, & sepeliri voluit, testamento condito, quo hęredem scripsit Ioannem Gallandium iuventutis Parisiensis optimum Moderatorem, cujus hospitio cum Lutetiæ esset, familiarissimè utebatur, qui dignam tanti viri memoriæ gratiam rependens, ei exequiis perhonorificis postea in Schola Becodiana sua parentavit. Mortuum laudavit Iacobus Darius Perronus, magni tunc ingenij & eruditionis adolescens, qui postea & dignitate & famâ crevit, sicuti suo loco videbimus. Statuam etiam marmoream Ronsardo in sacello Scholæ poni curavit Gallandius, & anniversario sacro ac doctis puerorum concerta-

 tionibus

tionibus memoriam ejus longo post tempore celebravit.

CIↃ IↃ XXCVI.

HOs rursus antecessit conditione dispar, sed dignus multas ob causas qui memoretur, *Martinus* ab Aspilcueta doctor *Navarrus* dictus, quòd paternum & maternum genus ex Navarra duceret, qui Salmanticæ primùm, dein Conimbricæ permultos annos jus pontificium magnâ non solùm eruditionis, sed pietatis ac synceritatis famâ professus; innumeris & summæ authoritatis in eo genere editis monumentis; vir præter eas, quas laudavi in eo, virtutes, constantiâ & fide præstans, quod duobus maximè illustribus exemplis manifestum fecit; nam cum Bartholomæus Caranza Archiepiscopus Toletanus, cui multis nominibus obstrictus erat, sectariæ labis postulatus esset, ejusque rei, Philippo per-

permittente, cognitionem Pontifex ſibi ſumpſiſſet, Navarrus quanquam octogenario proximus, omnem ætatis & valetudinis curam amici periculo poſthabuit, & Caranzam Romam ductum comitatus, ejus innocentiam averſo Philippo & ejus miniſtris conſtantiſſimè tutatus eſt: donec tædio carceris miſer Caranza cum nihil contra ipſum probaretur, tandem extinctus eſt. Cum verò ſub id Romam Orator miſſus eſſet à Rege Paullus Foxius, vir præter natalium ſplendorem omni laude digniſſimus, memini, cum in ejus Comitatu eſſem, Navarrum ad ſalutandum eum veniſſe, & cum illum domi non reperiſſet, ad Trinitatis in porticu Foxio obvium factum, mox poſito pileo & pileolo humi ſe proſtraviſſe, & oſculum ad pedes ejus tuliſſe; & cum miraretur Foxius, & quâ erat humanitate ac modeſtiâ, tantum honorem deprecaretur, ac venerandæ ætatis ſenem erigere conaretur, reſpondiſſe Navarrum, hunc cultum ac

reverentiam genti, ex qua Reges sui prognati essent, meritò deberi; & cum tandem surrexisset, nunquam precibus aut jussis adduci potuisse ut caput tegeret, quanquam loco ad cœli tunc maximè frigidi injurias exposito cum Foxio deambularet. Nec verò mirum fuit, hominem probum, & in casibus, quos vocant conscientiæ examinandis, de quibus & omnium peritissimè scripsit, versatum, tantam atque venerandam suorum regum memoriam ac cultum servasse, quippe cum sciret Carolum V & Philippum ejus F. aliquoties super eâ re ab ipsis consultus de Navarræ regni, ut injuriose occupati, restitutione, aut idoneâ compensatione dandâ sæpius deliberasse, idque ipsis, ut facerent, si suæ conscientiæ satisfactum vellent, auctor fuisset. Tandem post Caranzæ obitum seu tædio patriæ, seu quòd ætate provectior esset quàm ut in patriam rediturus tam longinquo itineri se tutò committeret, Romæ mansit, ubi hoc anno XI Kal.

Iul.

Iul. ad deum migravit, cum annos XCV exegiſſet, m. VI, d. VIII, ad B. Antonij Patavini in campo Martio ſepultus.

Navarrum anteceſſit magnum Hiſpaniæ lumen *Antonius Auguſtinus*, domo Cæſarauguſtanus, patris cognominis Arragoniæ Procancellarii à regni Ordinibus olim repetundarum poſtulati, & à Carolo rege Bruxellis ſolemni judicio abſoluti, F. qui politioris litteraturæ ac antiquitatis rarâ cognitione ſibi in Italia comparatâ, & juris Romani ac poſtremò Pontificii exquiſitâ ſcientiâ meruit, ut Romæ inter XII viros litium judicandarum à Pontifice cooptaretur; inde Aliſanius primùm, dein Ilerdenſis in Hiſpania Epiſcopus creatus. Multa in Italia dum fuit, & poſtea in patria ad æternam memoriam victura monumenta edidit, ſive edenda Fulvio Urſino amico ſuo & in eodem litterarum genere, jurisſcientiam excipio, verſanti commiſit. Tandem Archiepiſcopus Tarraconenſis

nensis creatus, dum in iisdem studiis perseverans, præcipuè in jure Pontificio illustrando sudat, & jam apparatam Conciliorum tam Græcorum quàm Latinorum editionem haberet, animam bene de repub. litteraria atque adeo Christiana meritam Deo reddidit pridie Kal. Iunias, cum annos LXX, m. III, d. totidem vixisset, ad B. Theclæ in odéo à se parato Tarracone conditus. Mortuum laudavit Andreas Schottus Antuerpianus ipsius Augustini familiaris, oratione Lævina Torrentio Antuerpiæ Episcopo inscriptâ.

Octavianus Ferrarius Hieronymi, de quo alias dixi, F. post Ant. Augustinum dicetur, nobili familiâ Mediolani natus, qui primum litteris humanioribus & Philosophiæ ac Medicæ in celeberrimis Italiæ gymnasiis egregiè eruditus, in Canobiana Schola, cujus instituendæ Paulo Canobio auctor fuerat, annos duodeviginti Ethica & Politica docuit. Dein jussu Senatûs Ticinum concessit, & naturalem

turalem Aristotelis Philosophiam suscepit interpretandam, quam & exoterico opere non parum exornavit, eoque meruit ut Franciscus Vicomercatus, qui Francisco I apud nos tanto concursu Lutetiæ in regio gymnasio docuit, in patriam post summi litterarum fautoris mortem reversus, illum inter omnes deligeret, cujus judicio opera sua olim edenda committeret; inde post quadriennium impetratâ à Senatu veniâ, Mediolanum rediit, ac denuò in eâdem scholâ profiteri perrexit: tandemque morbo, cujus occasione domum repetierat, ingravescente oppressus III Non. VIIIbr. in villa sua placidè ad Deum migravit, cum vitæ exegisset an. LXIIX, m. V, d. XII, à Bartholomæo Capra I C. & individuo vitæ socio, cui & bibliothecam legavit, cum honorifico elogio funeratus.

Romæ & decessit hoc anno *Iulius Castellanus* Faventiæ celebri Galliæ Togatæ urbe natus, qui Academicas Cice-

ronis, & Aristotelis de humano intellectu doctrinam discussit, & cum in urbe Philosophiam aliquot annis secundâ famâ docuisset, suppressorum stipendiorum à Sixto V, ut impensæ parceret, jacturam passus, homo ingenuus valdè indoluit, accedente ad injuriam egestatis importuno sensu, ex qua dum Episcopatu ab eodem donatus se extricare sperat, qui paupertatis tristitiam invicto animo tulerat, inexpectati beneficij lætitiam non tulit, antequam eo frui posset subitò extinctus, cum LVIII tantùm ætatis annum attigisset.

Castellano *Laurentium Gambarum Brixianum* addam, qui ingenium in Poëtica fæliciter exercuit, & in familia Alexandri Farnesij Cardinalis litteratorum fautoris eximij diù vixit, & exeunte hoc anno maturâ morte, quippe nonagenarius, ad Deum migravit, ad S. Laurentij in Damaso sepultus.

Majore præconio dicendus *Hier. Columna* & ob gentis, cujus nomen præferebat, claritudinem, quippe qui à Pom-

peio

peio Columna Cardinali, qui regni Neapolitani prorex fuit, genus repeteret, & singularem eruditionem cum moribus suavissimis conjunctam; artam cum Io. Matthæo Aquaviva Hadrianensium Duce, viro ultra splendorem natalium, egregiâ scientiarum atque Astronomiæ ac Musicæ inprimis doctrinâ itidem illustri, amicitiam coluit, & bis mille quingentorum voluminum Bibliothecam instruxit, præter statuas antiqui operis & numos, raræque elegantiæ picturis ornatam domum habuit, ac splendidè vixit, in eoque splendore & otio multa elucubrasse dicitur, quippe utriusque linguæ non tritâ cognitione præditus: post elatam uxorem etiam linguæ sanctæ operam dedit, & cum sacris initiari cuperet, jam Episcopus designatus, ex malo calculi præmaturè III Non. April. hoc anno, ætatis suæ LIIII, Neapoli decessit, ad B. Virginis in monumentum majorum illatus. Q. Ennij fragmenta collegit, disposuit, explicuit, quæ Ioannes filius quadriennio post parentis

obitum publicavit, fidem apud posteritatem factura, quid à tanto viro expectandum fuerit, si diuturniorem ei vitam Deus annuisset. Præter Ioannem, ex conjuge dilectissima Pompeium honoribus quibusdam in aula Romana defunctum reliquit, ac postremò & Fabium, qui in naturali historia industriam suam hodie exercet, scriptis in eo genere aliquot jam editis, & majore in posterum spe excitatâ.

Italorum mentio atque adeo Columnæ me admonet, ne *Galeacium Caracciolum* Vici marchionem, qui hoc anno debitum naturæ procul à patria persolvit, indictum prætercam. Is Nicolaum Antonium bellis sub Arausionensi principe in Italia celebrem patrem habuit, matrem Petri Antonij Carafæ, qui Paullus IIII post adeptum pontificatum dictus est, sororem; Victoriam ducis Nucerini filiam in uxorem duxerat, ex qua numerosam sobolem sustulit. Sed cum sub id Petrus Martyr Vermilius Neapolim venisset, & jam tum dissemi-

disseminatam per Helvetios & in Germania doctrinam fidis in arcano instillaret, in iis sectatores habuit Ioannem Valdesium Hispanum, de quo aliàs dixi, & Ioannem Franciscum Casertam Galeacio adfinitate conjunctum, & ipsum Galeacium, qui jam artam cum M. Ant. Flaminio Victoriæ Columnæ Piscarij Marchionis viduæ perfamiliari, ob pietatis studia amicitiam colebat, non quòd Flaminius doctrinæ in cæteris illi addictus esset, sed quòd quædam ad justificationem pertinentia, ut aliàs diximus, & multa quæ pravâ consuetudine in Ecclesiam irrepsisse videbantur, emendari consultum duceret. Tandem à Valdesio & Vermilio persuasus, & cum officij causâ in Germaniam, ut Carolo Cæsari inserviret, venisset, Argentinæ convento eodem Vermilio, qui interim in Germaniam discesserat, magis confirmatus, Genevam patre & conjuge ac liberis relictis concessit; cum aliquoties cum patre primùm in Italia, & postea cum patre ac conjuge simul collocutus,

 nec

nec illius reverentiâ, nec amore hujus, aut liberorum collo paterno hærentium blanditiis ac lachrymis adduci posset ut propositum mutaret. Postremò Genevam reversus, quasi uxor secum prima divortium fecisset, aliam duxit anno CIↃ IↃ LX, primùm consultis pastoribus, sicuti scribunt qui eas res prodidere, Annam Fremejeram nomine jam quadragenariam, quæ viro priore defuncto, Rotomago, unde nata erat, ob religionis causam paullò ante migraverat, cum eâque in summa tenuitate, quippe omnibus bonis dejectus ad annum LXVIII ætatis conjunctissime vixit, novo divortij probati & superinductæ uxoris non sine Protestantium invidia exemplo.

Abstulit & hic annus, qui fuit illi climactericus, *Martinum Chemnitium* Britzæ, cui Fideli cognomentum, in Vandalia natum, qui litteras primâs sub Philippo Melanchthone & Georgio Sabino Vitembergæ & Francofordiæ ad Oderam imbibit. Dein se totum Theologicis studiis

manci-

mancipavit, in quibus aſsiduo labore tantum profecit, ut poſt Philippi præceptoris obitum, Theologorum Auguſtanæ confeſsionis facilè princeps inter ſuos habitus ſit, à Friderico II Daniæ rege, Ludovico Palatino, Auguſto Saxone, Ioanne Georgio Brandeburgico VIIviris, Iulio Brunſuico, aliiſque principibus & civitatibus & Ordinibus huic doctrinæ addictis in conſilium ſuper Eccleſiaſticis negotiis ſemper adhibitus, aut abſens conſultus. Tandem Brunſuicæ, in qua XXX totos annos docuit, tot laboribus defunctis ac ſcriptis multis editis, VI Eid. April. debitum naturæ perſolvit.

Hic annus ultimus fuit *Ludovico Lavatero* & *Rodolfo Gualtero* ambobus Tigurinis & illius Eccleſiæ paſtoribus. Et ille quidem Henrici Bullengeri gener multis editis ſcriptis etiam extra religionis controverſias claruit; Hic Ioſiæ Simleri de quo jam diximus, ſocer, Homiliaſtes inter ſuos celeberrimus, valde ſenex.

Nec prætermitti debet *Matthæus Ve-*

ſenbeſius

ſenbeſius familiâ patriciâ Antuerpiæ natus, qui cum juri civili operam Lovanij dediſſet, eandem ſcientiam magnâ cum laude Ienæ & poſtea Vitembergæ profeſſus eſt, ubi & editis compluribus ſcriptis hoc anno obiit, cum LV ætatis annum attigiſſet.

CIↃ IↃ XXCVII.

E*Lias Vinetus* Barbezio Rupi Fulcandiorum caſtello in Santonibus natus, qui non ſolùm juventuti erudiendæ in Aquitanica ſchola, in qua Ioanni Gelidæ ſucceſſit, ſicuti ſuo loco diximus, operam ſedulam navaverat, ſed etiam ſcriptis doctiſſimis antiquorum monumenta plurimùm illuſtravit, ac demum ſeptuageſimum octavum annum ſupergreſſus, Burdigalæ in eâdem ſcholâ animam optimè de repub. litteraria meritam Deo reddidit, prid. Eid. Maias.

Eum

Eum quinque diebus præceſſit aut potius ſecutus eſt, (nam calculum priſtinum Germani Proteſtantes retinent) *Iacobus Skekius*, ætate triennio minor, profeſſione Medicus, qui Ariſtotelem & ſcriptis illuſtravit, & vivâ voce magno auditorum plauſu ac cætu Tubingæ in Suevia interpretatus eſt, & ambobus oculis ad extremum orbatus, de cætero integris animi ſenſibus, in ſuo munere defecit.

Aliquanto poſt III Kal. IXbr. deceſſit *Ioannes Vigandus* magnæ doctrinæ inter Proteſtanteis Theologus, qui Matthiæ Flacio in concinnandis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ centuriis operam olim navavit, & poſtea in Pomeſanenſis in Boruſſia Epiſcopus à Stephano rege juxta pacta cum Boruſſiæ Principibus & Ordinibus inita dictus eſt.

Eodemque fere tempore apud nos *Germanus Valens Guelius* Aureliani, quæ illi patria erat, Epiſcopus, Magduni ad Ligerim Epiſcopatûs caſtello, major

ſeptuagenario placidè ad deum migravit, olim in familia Coliniorum educatus, & poſtea ampliſſimi Ordinis Senator, ut linguæ Græcæ exactâ cognitione & omni humaniori litteraturâ ac Poeticâ inprimis, ſic morum candore ac comitate præſtans.

Paullò ante Epiſcopus Fani Adæmari deſignatus fuerat *Iacobus Pamelius* Brugis natus, & prænobili ſtirpe Pameliorum apud Aldenardam in Pleumoſiis oriundus, vir & ſacræ antiquitatis periſſimus, & cùm multis ſcriptis, quibus eam illuſtravit, tum unâ & alterâ Tertulliani & B. Cypriani editione magnam gratiam à doctis & piis omnibus conſecutus, qui Bruxellas negotiorum cauſâ cogitans in itinere ad montes Hannoniæ febri violentâ corripitur, ex qua præcipitato fato, vix quippe LI annum exceſſerat, ibidem deceſſit XIII Kal. IXbr. ad beati Valetrudis modicis exequiis (ſic enim ultimis tabulis mandaverat) funeratus.

Sed

Sed maximè omnium tristis, & non solùm amplissimo ordini, cujus magnum ornamentum erat, sed etiam cunctis regni Ordinibus, cujus bono natus videbatur, luctuosius *Iacobi Manioti* Iulioduno in Pictonibus oriundi obitus fuit, qui verè in Deum & patriam pius, ad eximium Gallici nominis studium cum regii fisci in Senatu patronus esset, generosos atque adeo regios spiritus attulerat, profundâ eruditione an facundiâ major incertum, ab omni ambitu & fuco alienus, & supra omnem opum, quas amplissimas habebat, amorem positus. Nec erat in tanto viro tot raris ingenij dotibus à Deo cumulato quod meritò desiderares nisi firmiorem valetudinem, quæ per se debilis, assiduis pro communi salute ac regni dignitate seriis cogitationibus ac studiis multùm debilitabatur, eo minore sensu, quò majore animo ad ea ferebatur; igitur, cum ex auxiliaris exercitûs adventu spem concepisset, ut vel invitis publicæ quietis

perturbatoribus pax confici possset, ubi vidit Regem male consultum tam male occasione uti, ad infirmam valetudinem publico mœrore accedente, sub autumnum in gravissimum morbum incidit, qui postremo illi lethalis fuit, & cum tantùm XXXVI annos exegisset, vir longiore vitâ dignissimus, patriæ ac suis morte immaturâ ac mihi, quem ob studiorum & consiliorum conjunctionem plurimùm diligebat, semper deplorandâ ereptus est.

CIↃ IↃ XXCVIII.

FUit hic annus fatalis *Ioan. Viero* nobili Zelandiæ inundatæ familiâ orto, qui Philosophicis studiis egregie à pueritia instructus, Henrico Cornelio Agrippæ homini comprimis erudito, & magicis superstitionibus infami, ante L

annos

annos, Gratianopoli apud nos defuncto, operam in pueritia navavit, adeo erga præceptorem optimè de se meritum gratus, ut opus illud, quod diu post Agrippæ mortem de hujus præstigiosæ scientiæ vanitate luculentum edidit, ex ea occasione publicasse credatur. Medicinam magnâ cum laude fecit in aulis Caroli V, Ferdinandi, Maximiliani II, Rodolphi II Cæsarum, ac Wilielmi Cliviæ Ducis archiatros fuit, in cujus comitatu per totam Germaniam, tum in Borussia eandem artem pari fælicitate exercuit, & Teklenburgi, cum ad Arnoldum Benthemij Comitem officiosè invisendum divertisset, morbo subito correptus decessit prid. Kal. Mart. septuagesimum secundum ætatis annum paullùm supergressus.

Vierum secutus est *Theodorus Zuingerus* Basileæ natus, & in patria mortuus VI Eid. Mart. longè eo junior, quippe tantùm quinquagesimum quartum annum egressus, eâdem professione clarus, quam & editis compluribus monumentis illu-

 stravit;

ſtravit; ſed majorem illi famam conciliavit ingens opus, cui vitæ humanæ theatro titulum fecit. Cujus dulci convictu & colloquio cum mihi poſtea Baſileæ magnâ cum animi voluptate frui contigiſſet, animadverti virum ſummâ doctrinâ & rarâ ingenij elegantiâ ac candore præditum in digniore ſe opere induſtriam exercere potuiſſe, ſi non majorem nominis ſoceri & popularium ſuorum qui ſpiſſæ molis librorum congerie ferè gaudent, quàm propriæ laudis rationem habuiſſet.

Octobri ineunte Conſentiæ, quæ illi patria erat, in Calabria ultimum diem clauſit *Bernardinus Teleſius*, qui Antonium patruum habuit Philoſophicis ſtudiis celeberrimum, ab eoque Mediolani inſtitutus, poſtea Patavij majores progreſſus fecit, & Romam ſub id tempus venit, quo urbs ab Hiſpanis direpta, parumque à periculo abfuit, re omni ſpoliatus, hic Philoſophiæ ab ipſo deinceps traditæ principium fecit, quam cum viris doctiſſimis, ubicunque eos nanciſci poterat, ingenuè

com-

communicatam ſemper in dies locupletavit, & amicitiam multorum illius aulæ procerum, ob morum candorem cum ſummâ eruditione conjunctum promeruit, à Paullo IV etiam Epiſcopatu patrio donatus, à quo ille ſe excuſavit, & eam militiam fratri tranſcripſit; ipſe Conſentiam reverſus uxorem duxit, liberoſque ex ea ſuſcepit, qui patrem grandævum, quippe annorum LXXIX, hoc anno extulerunt.

Ante Teleſium maturâ morte obiit Patavij in patria, Iunio ineunte, *Spero Speronius* qui ante LXIV annos Philoſophiam vernaculâ linguâ publicè in ampliſſimo illo Gymnaſio profeſſus fuerat, Vir multis ſimul naturæ ac fortunæ dotibus, quæ ſingulæ in ſingulis valdè commendantur, à Deo cumulatus, ab Antonio Ricobono, celeberrimo Eloquentiæ profeſſore, in funere laudatus, à nobilitate patriæ, ſplendore familiæ, fortunarum amplitudine, equeſtri dignitate, corporis firmitate, ac proſperâ valetudine, ingenij præſtantiâ,
diſſerendi

differendi ratione, Poëticâ, Rhetoricâ, ſcribendi peritiâ, Philoſophiæ ac Mathematicarum rerũ ſcientiâ, ſacræ Scripturæ omniſque antiquitatis cognitione, rerum futurarum prudenti prædictione, quæ eum multis Principibus, quorum conſuetudine frui ei longiſsimâ in vita ſæpius licuit, chariſsimum reddidit.

Haut multò ætate Speronio minor *Augerius Ferrerius* VIIIbri exeunte debitum naturæ perſolvit Toloſæ, ubi natus erat, Medicinam profeſſus, quam & fæliciſſimè ac ſummo judicio fecit, non ſolùm in patria, atque adeo in aula, ſed etiam in Italia, cum Ioannem Bertrandum Galliæ Procancellarium, & in collegium Cardinalium cooptatum, Romam uſque ſecutus eſt, ſecundâ ſemper artis ſuæ famâ, ad quam exquiſitam Aſtrologiæ & aliarum vulgo minùs notarum cognitionem artium adjecerat, tanti à Iulio Cæſare Scaligero, quo nullum majus huic ſæculo lumen affulſit, ęſtimatus, ut nihil ferè aliquâ meditatione dignum, ſive in ęgrotorum

rum perplexis curationibus, quæ moram patiebantur, sive in privatis studiis, inconsulto illo moliretur. Fuit illi cum Io. Bodino librorum de Repub. scriptore acrior, quàm inter litteratos decet, concertatio, in qua dum stilum exerceret, atrocissimis intestinorum torminibus correptus, qui firmâ valetudine huc usque vixerat, tandem defecit.

Ioannes Auratus morte sua hunc annum clausit, Ratiasti Lemovicum, quæ eadem Io. Maludano, M. Antonio Mureto, Simoni Bosio litterarum laude viris clarissimis patria fuit, natus, primùm pueris regiis erudiendis admotus, dein & ob ingenij præstantiam, & exactam linguæ utriusque cognitionem, in regio gymnasio diù professor, postremò emeritus vitam regio honorario ad extremam senectutem toleravit; Poëticâ facultate inprimis excelluit, in qua, ut alij ipso docente multum proficerent, sedulâ fælicitate effecit; siquidem ex ejus aula prodierunt cùm multa præclara fere hujus sæculi lumina,

tum rarum illud ornamentum Petrus Ronſardus, qui Aurato, quicquid in ipſo ingenij, quicquid Poetici ſpiritûs erat, (fuit autem in eo tantum, quantum in ullo poſt fęlicia illa Auguſti tempora) tanquam præceptori ſuo gratus diſcipulus acceptum referebat. Talis tantuſque vir pænè octogenarius Lutetiæ IXbri exeunte deceſſit, eò minore ſui relicto deſiderio, quòd ob ſenium, & dilapsâ jam ob turbas exortas iuventute, inutilis ejus opera eſſe cœpiſſet, & vir ad aliorum ſtudia ac commoda promovenda natus, qui rem familiarem totâ vitâ neglexerat, deplorandâ jampridem egeſtate premeretur. Extant ejus carmina, non ab ipſo auctore, etſi id titulus præ ſe fert, ſed à librariis præpoſterâ diligentiâ, cum alieni nominis diſpendio lucrum captantibus edita, quibus partim aliena, partim quædam etiam ipſius, quæ tamen ille nunquam pro ſuis agnoviſſet, inſerta ſunt: quæ omnia recenſeri, non ſolùm tanti viri famæ, ſed etiam litterariæ rei intereſt; quod brevi facturum

rum Scævolam Sammarthanum ſperamus, virum, cùm ob morum candorem, ac ſummam integritatem, tum ob raram eruditionem, & excellentem ingenij in hoc genere fælicitatem mihi chariſſimum, qui & ſummâ ſtudiorum conſenſione ac neceſſitudine cum Aurato, dum vixit, conjunctus fuit, & intimos animi ejus ſenſus planè perſpectos habuit, ut minimè verendum ſit, ne quicquid in eâ re fecerit, propterea in alieno opere ingenioſus fuiſſe videatur.

CIↃ IↃ XXCIX.

ABſtulit hic annus tot cladibus funeſtus *Franciſcum Roaldeſiam* Marſilliaci in Rutenis humili municipio natum, virum in quo pieias & morum candor cum rarâ doctrinâ certabant. Is I.V. Divonæ Cadurcorum primùm cum Antonio Goveano; dein Valentiæ Cavarum, (ubi ei, necnon Iacobo Cujacio, qui

illum omnis antiquitatis reconditæ locupletem penum appellare ſolitus erat, operam navavit) ac poſtremò Toloſæ, quò à Io. Stephano Durantio evocatus fuerat, ad multam ætatem laude cum ſummâ profeſſus, alienam potius induſtriam juvare, quàm proprio nomine inclareſcere voluit, nullis ferè editis ſcriptis, cum cottidiè ſuper graviſſimis juris quæſtionibus & rei antiquariæ arcanis, coram & per litteras à doctiſſimis viris conſuleretur. Tandem mœrore ex indigna ampliſſimi & amiciſſimi viri nece concepto, ibidem paulò poſt, ſeptuagenario major VIIIbr. menſe obiit, hoc unum in morte alioqui minimè moleſtâ dolere ſibi dictitans, quòd urbem, quam puer tanquam humanioribus litteris inimicam vitaverat, ſenex inhumanâ tanti Senatoris cæde ſceleratam aſpicere, & in eâ ſpiritum emittere cogeretur.

Ex noſtris, poſt eum commemorandus venit *Chriſtophorus Plantinus*, Turonenſis qui ſecundum Manutios, Stephanos,

nos, Frobenios, & Oporinum, maximè rem litterariam juvit, libris innumeris, & inter alia bibliis, ad Complutense exemplar, sed longè majore operarum elegantiâ, auspiciis Philippi Hispaniarum Regis editis; quæ editio illi quàm gloriosa, tam detrimentosa fuit, præposterâ ministrorum Philippi diligentiâ, qui pecuniam in id à Rege collatam dum asperiùs exigunt, Plantinum aliunde pecuniâ ab amicis mutuò sumptâ jam gravatum pænè merserunt. Vixit annos LXXV, obiit Antuerpiæ Kalen. Vtilib. in majore urbis æde honorificè sepultus.

In Germania III Eid. Mart. obiit *Ioannes Sturmius* Sleida, quæ eadem Sleidani Historici patria fuit, in Ubiis natus, Eloquentiæ professor eximius, quam doctissimis scriptis illustravit, diu Argentinæ, magnâ cum prudentiæ & eruditionis laude, scholam moderatus, in qua sibi vivo, sed ob ingravescentem ætatem impari, (nam octogesimum annum excesserat) Melchiorem Iunium gratissimum disci-

 pulum

pulum à Senatu ſubrogari petierat & obtinuerat.

Hunc præceſsit *Henricus Mollerus*, vir in Hebraicis doctiſsimus, & magni inter ſuos nominis Theologus, qui cum diu Vitembergæ docuiſſet, dein. Hamburgi larem fixiſſet, paullò ſexagenario minor ex hac vita migravit, VI Kalend. Xbreis.

Poſt hos recenſebitur *Martinus Cromerus*, Varmiæ in Boruſſia Epiſcopus, inſignis rerum Polonicarum ſcriptor, qui cum patriam & conſilio & monumentis ęditis plurimis juviſſet, & illuſtraſſet, jam ſenex III Eid. Mart. animam Deo reddidit, cui in Epiſcopatu illo ſuffectus eſt Andreas Bathoreus Cardinalis Stephani ultimi Regis ex Andrea fratre nepos, & per delegatos regios in poſſeſsionem menſe Maio proximè miſſus, fruſtra frementibus Boruſsis, qui ex ſua gente hominem, non ęxterum ad eam dignitatem provehendum fuiſſe, per jura ac privilegia ſua diſputabant.

Ex ea natione, quippe Regio monte

Boruſsiæ

Borussiæ oppido natus, Patavij obiit valde senex *Melchior Guillandinus* egregiè litteris à puero imbutus; præcipuè in historia naturali ingenium exercuit, & in rei herbariæ ac fossilium cognitione excelluit, ob id plerisque peregrinationibus in Græciam & Asiam susceptis, in Africa aliquandiu etiam captivus, ubi calamitatem suam in commodum vertit, multarum rerum pleniori perceptâ cognitione, quàm si fuisset in libertate; ac postremò Patavium tanquam amænissimum studiorum domicilium se contulit, ubi horti publici curam à Senatu commissam magnâ eruditionis opinione administravit, variis cum Ioanne Petro Matthiolo Senensi, cujus opus de plantis toties ac tot linguis recusum est, concertationibus digladiatus. Pauca tamen, cum multa expectarentur, ejus extant scripta, & inter ea cõmentarius de Papyro ad C. Plinium editus, in quo tamen virũ tantæ existimationis multoties hallucinatum esse, eruditissimus Iosephus Scaliger contrario scripto demonstravit.

Nec

Nec meritâ laude fraudandus in eadem urbe, ex qua ipſe ortus erat, denatus *Jacobus Zabarella* Comes, hos enim titulos à Maximiliano Cæſare majoribus ſuis conceſſos retinebat, diù Philoſophiam magnâ cum laude, in illâ toto orbe Chriſtiano celeberrrimâ Academiâ profeſſus, ac primùm in Bernardini Tomitani locum ſuffectus, poſtea Archangelo Mercenario Picenti Collega adjunctus; quo ante XVI annos vivis exempto, in eodem munere ad extremum perſeveravit, atque hoc anno poſt edita complura in Ariſtotelem ſcripta, debitum naturæ perſolvit VIII Kalen. IXbr. ab Antonio Ricobono Rodiginio copiosâ oratione laudatus.

Majore præconio dicendus *Andreas Dudithius* ab Horehovizza, aliquando etiam Sbardellius à materno genere (mater illi quippe nobilis eo nomine Veneta) cognominatus, vir natalium claritate, ingenio omni ſcientiarum genere exculto, judicio, rarâ Latinè ſcribendi dicendique facultate, in negotiis explicandis

pru-

prudentiâ ac ſolertiâ præſtans; ad hæc totius corporis formâ, geſtu, & oris renidentis gravitate conſpicuus, comitate, vitæ innocentiâ, omnium, qui unquam eum viderunt, gratiam promeritus, natus eſt anno hujus ſæculi *CIↃIↃ XXXIII* Non. Febr. Budæ in Hungaria, aut Budæ proximo caſtello; primum litterarum tyrocinium Patavij fecit, & in Italia P. Manutium, Fr. Robortellem, C. Sigonium, O. Panuinum, P. Victorium partim audivit, partim amicos & familiares habuit. Tantus vero Tullianæ eloquentiæ ſive admirator ſive ſectator fuit, ut totum Ciceronem ter propriâ manu deſcripſerit. Patavij tunc Stephanus Bathorius poſtea in Poloniæ Regem electus erat, cum quo ſubortæ jam tum occultæ ſive æmulationes ſive ſimultates, quæ cum ætate creverunt. Inde in Angliam Reginaldum Polum Cardinalem abeuntem cum Aloiſio Priulo ſecutus eſt, cujus & vitam à Ludovico Beccatello Italicè ſcriptam eleganter Latinè vertit. Demum ex Anglia Luteti-

am venit, & illic ſub optimo doctore Angelo Caninio Anglarenſi non ſolùm Græcæ linguæ & Hebraicæ, ſed etiam Orientalium peritiſſimo, denuò intermiſſis per illas peregrinationes ſtudiis, operam dedit; in Pannoniam ſuam reverſus, atque in aulam Cæſaream, quanquam admodùm invenis, ob admirabilem eruditionem & morum ſuavitatem Tinninienſis Epiſcopus creatus, ac poſtea Quinquecclesienſis deſignatus fuit, magnaſque legationes ſub Ferdinando jam tunc, & poſtea ſub Maximiliano, atque etiam Rodolfo ſummâ fęlicitatis & prudentiæ laude obivit. Inter hæc Tridentino Concilio interfuit, & Hungariæ ſacri ordinis nomine varias orationes ad Patres habuit; quarum duæ, altera de Communione ſub utrâque ſpecie, altera de Sacerdotum conjugio, tunc per Germaniam publicatæ ſunt. Poſtea, Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Rege mortuo, in electione novi Regis ſedulam operam Maximiliano Cæſari navavit, nullumque in eâ petitione acriorem

rem

rem adversarium Io. Monlucius Valentiæ Episcopus, ut ex ipso sæpius audivi, quàm Dudithium expertus est. Tantas tamque laudabiles animi dotes in religione levitas obscuravit; nam, sacris majorum relictis, Protestantium doctrinam amplexus est, atque ut illi inter se per Germaniam, ac præcipuè per Sarmatiam studiis & opinionibus divisi erant, ita nunc ad has, nunc ad illas partes propendens diu fluctuavit, neutris propterea acceptus, cum & à Catholicis, quòd primam fidem irritam fecisset, ubique exagitaretur, & inter Protestanteis quasi emansor haberetur. In eo autem fluctuationis salo hærens, hoc temperamentum servabat, ut nemini, qui viam veritatis ac salutis pectore non ficto aut ambitiosè rimaretur, graviùs succensendum putaret, neque eos qui in religionis quæstionibus hodie tantopere exagitatis erroneam opinionem tuerentur, modò turbulenta abesset pertinacia, pœnis atrocioribus dignos censeret. Quâ de re contrariæ extant luculentæ Theodri Bezæ, &

ipsius epistolæ. Ejeratâ Episcopâ, in uxorem virginem è Reginæ gynæceo è Strassia familia primùm duxit, de qua res non indigna relatu memoratur. Cum adhuc Episcopus esset Dudithius, in Poloniam à Maximiliano legatus, & ad infantem Pontificio ornatu, in gynæceum, in quo pleræque nobiles virginet erant, admissus, uni ex illis non priùs sibi visæ ruborem expressit, tantâ circumstantium admiratione, ut egresso legato, infans statim ab ea quæsierit, quid causæ esset, cur in legati ingressu tam apertum commoti animi judicium dedisset? illa verò, cū initio alia atq; alia caussata se excusasset, ad extremum instante infante respondit, hesternâ nocte in somnis visum hominem à patre matreque virum sibi destinatum, totâ corporis & oris specie, excepto sacerdotali amictu, tam legato similem, ut memor somnij tam manifestè erubuerit. Quod pro tempore ab infante & ipsâ virgine neglectum, vanitatem somniorum ridentibus; eoque magis, quòd inter dignitate Episco-

pali

pali virum & virginem illam nuptias coire posse, tunc vero simile non fiebat. Res nihilominùs biennio post exitum habuit, cum pater in Cæsaris aulam, Poloniæ Regis jussu, profectus, cum Dudithio tunc adhuc rei ignaro, qui jam de nuptiis cogitabat, de filia ei in matronium dandâ convenit. Quâ mortuâ, alteram ex illustri in Polonia familia atque adeo famosorum Sboroniorum sororem Ioannis Taronij Comitis viduam duxit, matronam lectissimam, ex qua prolem suscepit. Ob id Romam cum citatus non comparuisset, ac propterea proscriptus esset, non tamen Maximilianus, quamvis à Pontifice monitus, ob id ejus colloquio abstinuit, aut operâ uti destitit. Sed cum Bathorium & Suecum à Sboroviis ipsis sororiis prælatos Austriacis, quibus inserviebat, mœreret, divenditis quæ in Pannonia & Polonia habebat bonis, in Quados cum bonâ Rodolphi Cæsaris gratiâ concessit, contractoque Uratislaviæ domicilio, pergrandem pecuniam Cæ-

ſari (quàm fælici conſilio incertum) mutuò dedit, modicâ ex eâ uſurâ lautè ſplendidéque victitans, in eoque otio ad priſtina ſtudia revolutus, præcipuè in Mathematicis ingenium exercuit, & arctam cum Ioanne Prætorio Ioachimico harum ſcientiarum clariſſimo in Altorfiana Norembergenſis reipub. Academia profeſſore, quem inter domeſticos aliquando ſtudiorum comitem haberet, amicitiam renovavit, ac per litteras totâ reliquâ vitâ coluit. Placidâ & qualem prædixerat ſæpe ac ſibi optarat, morte obiit VIII Kal. Martii, amicis liberiſque circumſtantibus, cum non totis duabus horis decubuiſſet, Medicis, ut fit, de genere morbi diſſidentibus, cum alii pulmonis abſceſſum, alii apoplexiam eſſe diſſererent, integroſque animi ſenſus ad extremum vitæ ſpiritum retinuit, Chriſtum ſalutis noſtræ propitiatorem perpetuò invocans, biduo ante (quod multis admiratione dignum videbitur) ad Prætorium, quem compatrem familiari compellatione nominabat,

minabat, litteras dederat; quarum in ima clausula, post plerasque non vulgares de rebus Mathematicis quæstiones, quas ei solvendas proponebat, propriâ manu hæc verba adscripserat; *Eclipsis Lunæ XV hujus mensis incidit in Aquarium, qui meus horoscopus est; si vera est Astrologia, mortem mihi adfert, aut gravissimum aliquem morbum; tu quid censes?* In omen & proximæ mortis acceptum, quòd pridie quàm moreretur, cum nondum fatali morbo correptus esset, de misero quodam quem sæpe sublevare solitus erat, quærendo famulis mandarat; nam reposcenti cum illi hominem non repertum respondissent, cras, inquit, mihi eum sublevare fortasse non erit integrum.

Ultimus dicetur *Ludovicus Guicciardinus* Iacobi F. Francisci celeberrimi & hominum prædicatione dignissimi historiarum scriptoris N. ipse Belgii accuratissimâ descriptione optime de illis provinciis, in quibus consenuit, & mortalitatem exuit, meritus, hoc anno XI Kal.

Apr.

Apr. æt. LXVI deceſſit. Is pro ſalutari conſilio, quod & ſcripto complexus fuerat, de abolenda quadrageſima, malam gratiam olim ab Albano retulerat, in carcerem ignominioſum ob id conjectus. Quod Albanus poſtea excuſavit, cùm diceret, ſe non tam ob conſiliũ optimo viro ſuccenſere, quàm quòd illud juſſu ſuo (nam fatebatur) cùm ſcriptis mandaſſet, non per ipſum ſcriptorem, ſed per alias manus in ſuas, præpoſterâ perfidi hominis gratiam ſuam aucupantis diligentiâ, illud perveniſſet.

CI Iↄ XC.

SEquuntur virorum litteris illuſtrium mortes, *Franciſci Hotomani*, Petro ſenatore Pariſienſi parente Lutetiæ nati, qui litteris egregiè inſtructus, cum juri ciri civili operam Aureliani dediſſet, ob religionis

ligionis causam patriâ profugus, Lausanæ primùm docuit. Inde à Ioanne Monlucio Valentiæ Episcopo, & postea à Margarita Biturigum D. evocatus, repetitis vicibus Valentiæ, & Avarici Biturigum, ubi eum aliquandiu audivi, evocatus, juventuti in jure dicendo assiduam operam longo tempore navavit, usque ad tumultum Parisiensem, post quem patriam omnino deseruit, & ad Montem Pelicardi in Sequanis, ac postremò Basileæ Rauracorum, amissâ ante aliquot annos conjuge, larem fixit, atque hoc anno pridie Eid. Febr. ex hydrope decessit, ætatis LXV variis editis de jure & aliis ad antiquitatis & politioris litteraturæ illustrationem toto vitæ tempore operibus, quæ simul postea Iacobus Lectius I. C. sicuti ab auctore paulò ante mortem recognita ac digesta erant, publicavit. Morienti adstitit Basilius Amerbachius I.C. mortuum laudavit Io. Iacobus Grinæus.

Post eum commemorandus venit *Iacobus Cujacius* Tolosæ natus, rarum non solùm

 lùm

lùm Galliæ, ſed univerſi Chriſtiani Orbis, in quo litteræ & Iuriſprudentia vigent, ornamentum, à ſummis juris conditoribus interpres primus & ultimus, cui quicquid puræ nativæque lucis ei ſcientiæ undecunque acceſſit, ætas hæc habet, & poſtera debitura eſt. Hæc enim elogia illi à viro doctiſſimo & gratiſſimo P. Pithęo meritò tributa ſunt. Huic rarâ fælicitate, quod vix aliis poſt mortem datur, contigit, ut vivus videnſque laude, quam meruerat, frueretur, & in foro ac ſubſelliis, ubi purior juris veteris ſcientia, quam ille profitebatur, à pragmaticis noſtris minore in pretio habetur, cum alij peculiari quiſque nomine ſuo citentur, ipſe per eminentiam Iuriſconſulti nomine appellaretur. Brevi ſtaturâ fuit & corpore compacto ac quadrato, nullis fere morbis totâ vitâ, quam continuis & improbis ſtudiis fatigavit, conflictatus, tantumque importuno ſingultu interdum vexabatur, quem ceſſatione aliquâ & hilariore inter diſcipulos convictu tranſigebat. Tam firmâ valetudine

ne fretus hanc ſortem ſibi divinâ benignitate concedi optavit, & vero ſperavit, ut octogenarius integris adhuc mentis & corporis viribus frequenti auditorio juventuti prælegere poſſet, quod Philippum Decium, qui Piſis ante XXC annos docuit, feciſſe meminerat. Eâ fiduciâ divinum obſervationum opus, cujus ſinguli libri XL capitibus abſolvuntur, ad XL uſque libros perducere decreverat, eumque ſibi vitæ & ſcribendi finem præſcripſerat. Verùm civilium bellorum fœdâ ſubortâ tempeſtate, cùm vir, ut profeſſione, ſic moribus, juris & ęqui obſervantiſſimus, omnia jura per factiones perverti, ingenuam libertatem in qua adoleverat, corrumpi, candorem per fucos & deteſtandas in religione ſimulationes amitti, ſeque non jam muris, ſed parietibus includi, neque tantùm à ſceleratis obſervari, ſed ad cædem oculis deſignari videret, expetitam longiorem vitam, ſi publico prodeſſe potuiſſet, melioris deſiderio generosè abrupit, & mœrore confectus Avarici Biturigum Cuborum, ubi docebat, optimè me-

 ritam

ritam de rep. animam Deo, à quo acceperat, piè reddidit V No. VIIbr. cum LXVIII annum ageret, publico funere elatus, & in B. Petri æde ad Avaronis pontem conditus. Mortuum laudavit Claudius Marescallus olim ejus auditor, & jam tunc Senator Parisiensis, acri juxta ingenio ac probo præditus; relictâ filiolâ, Bibliothecam libris & propriâ diligentiâ notatis, & ad manu scriptos codices summâ curâ collatis, instructissimam testamento publicè venundari mandavit, ut in plurium manus perveniens dissiparetur; eo consilio, ne si in unius potestate esset, præposterè curiosis, ex notis ejus malè intellectis, farragines librorum consarcinandi occasionem præberet; adeo vir reipub. juvandæ natus etiam de re litteraria posto bitum accuratè sollicitus fuit.

Post hos commemorandus venit *Gul. Salustius Bartassius*, qui nobili familiâ in Auscijs natus, militaribus studijs à puero innutritus, eorum feritatem dulci Musarum consortio ita temperavit, in eâque

eâque facultate tam fæliciter excelluit, ut quanquam vitio nationis à puritate Gallici sermonis alienus, & inter arma & tubas procul à doctorum commercio adultus, Hebdomade illâ toties recusâ, & ab aliis Latinè & Italicè certatim expressâ, perillustre inter hujus sæculi Poetas nomen meruit, proximumque à Ronsardo nostro locum tenere à multis existimetur. Stylum ejus tanquam nimis crebrò figuratum, tumidum & Vasconicè ampullatum, Critici quidam reprehendunt. Ego qui hominis candorem novi, & familiariter cum eo, dum simul inter arma in Novempopulonia incederemus, sæpius collocutus sum, possum testari nihil simile in ejus moribus deprehendisse. Nam cum plerique tam magnificè de eo existiment, summâ ipse de se & opere suo moderatione semper loquebatur, natalis soli & tempestatis infelicitatem crebris sermonibus incusans, per quam ei non licuisset, ut communicato cum peritis consilio de errori-

bus ſuis admoneri, eoſque emendare poſſet. Quod ſedatis turbis, profectione ad nos ſuſceptâ, cum facere apud animum ſuum conſtituiſſet, dum interim Matignono provinciæ præſidi in bello aſſiduam operam navaret, equitum turmæ præfectus, ad plagas non bene curatas accedente militiæ & laboris æſtu, in ipſo ætatis flore extinctus, eſt menſe Vtil. anno ætatis XLVI, cum paulò ante Scoticâ legatione, in qua à Iacobo VI peramanter exceptus, & honorificis condicionibus, ut ſecum maneret, invitatus eſt, ſummâ fidei ac prudentiæ laude defunctus eſſet.

Haud multo poſt ætate provectior, quippe LVI annos natus, fatis conceſſit *Robertus Garnerius* in Cænomanis natus, Poëticâ & ipſe facultate clarus, quam in cothurno Tragico præcipuè exercuit, editis IX tragœdijs, poſt Io. Peruſium, & Stephanum Iodellium, quæ principem locum vel Ronſardi noſtri judicio illis præripuerunt. Is in magno quod vocant,

con-

consilio assessor, turbis exortis, dum tempori cedendum putat, factiosis se immiscuit potius, quàm eorum partes secutus est, & veneni paulò ante mortem à domesticis propinati peste, uxoris periculo, devitatâ, cum tot Tragœdiarum, quæ ille ex antiquis aut externis petebat, & siccis oculis tractabat, argumenta ante oculos cottidiè obversari cerneret, tandem ex mœrore obijt.

Nostris externos adjungam. Ante alios dicendus venit *Io. Baptista Benedictus* Venetus, qui se patriciâ familiâ, ob nominis similitudinem, prognatum falsò jactabat, cum patrem Medicum Valentię Contestanorum in Hispania Tarraconensi natum habuisset, & ille porrò se Galliâ oriundum diceret. Fuit excellens Mathematicus, operamque primùm Octavio Farnesio Parmensium duci navavit; dein Friderici Asinarij Camerani Comitis commendatione in Emanuelis Philiberti Sabaudiæ ducis familiam transivit, cui & affirmavit fore ut Pinarollij & Savilliani

resti-

restitutionem Regum Franciæ beneficio impetraret, quę eodem quo prædixerat, anno secuta est, cum Henricus III è Polonia rediens per ejus ditionem transivit. Unicam filiam Ludovicam nomine habebat, quam turbato ordine extulit, cùm ejus tristem obitum multò ante prædixisset. Latinè fere nesciebat, & cum emendicato calamo in scribendo egeret, Francisci Mariæ Vialardi, qui studijs in ea Academia incumbebat, ferè operâ usus est; ejus sunt quæ contra Silvium Pellum de proportione scripsit, Physicæ, item Mathematicæ speculationes; Gnomonica, in quâ Solaria Analemate suo dignitati pristinæ restituisse creditus est; Quæ omnia publicata sunt; reliquit & multa non edita, de Optica, Musica, Machinis, quæ per absentiam Vialardi, Bernardo Trollo moriens commendavit, & nunc in Sabaudię ducis Musæo asservantur, magno reipub. bono olim lucem visura. Obiit sexagenarius Augustæ Taurinorum XII Kal. Febr. sicuti fore prædixerat, & in B. Augustini æde sepultus est.

Haud

Haud multò poſt *Iaſon Denores* Cyprius, & nobilitate generis, quam ex Neuſtria noſtra repetebat, & eruditione clarus, qui jam XIII totos annos moralem Philoſophiam in Patavino Gymnaſio profitebatur, poſt ingentem in Cypro à Turcis occupatâ acceptam cladem mærore acerbiſſimo oppreſſus eſt, ob Petrum filium unicum propter nobilis Veneti, quîcum in rixa ad manus venerat, cędem in exilium pulſum, ex eóque vitam hoc anno cum morte commutavit. Inter alia quę ſcripſit, cum de Poetica diſſerens, Tragicomœdias paſtorales quę hodie inter Italos uſurpantur, tanquam monſtra quędam & nullo veterum exemplo, contráque Poeticę priſcę leges ab imperitis rei antiquariæ introducta exagitaſſet, Baptiſta Guarinus lectiſſimus eques Ferrarienſis, qui ſub id Paſtorem fidum magno plauſu ubique in Italia exceptũ ediderat, eum ſermonem ad injuriam ſuam pertinere exiſtimans, defenſionem ſub nomine Verati publicavit, quam Apologiâ con-

trariâ ſtatim Denores refutavit. Sed dum alteram defenſionem meditatur Guarinus, morte minime fatali Denores conceſſit, quæ niſi dilectiſſimi filij calamitate fuiſſet præcipitata, alterius Verati lectione accelerari potuiſſe credita eſt. Tantâ ſiquidem vi eloquentiæ ſimul & aſperitate ac verborum amaritudine in Iaſonem invectus eſt Guarinus, ut Archilochum ipſum in Lycambem Iambos ſtringentem eo ſcripto ſuperaſſe paſſim jactaretur.

Julius Alexandrinus pæne indictus præterierat; hoc anno Tridenti extinctus octogenario quatuor annis major, qui Medicinam fæliciſſimè ſub Cæſaribus fecit, & multa ſcripſit. Maximiliano autem valetudinario principi cariſſimus fuit, ab eo ampliſſimis honorib. donatus, quos in filios licet naturales tanta imperatoris indulgentia tranſcripſit.

Extremo hoc anno *Flaminius Nobilius* Lucentis familiâ patriciâ, Philoſophiæ cultioris peritiſſimus, & extremâ ætate Theologiam profeſſus, poſt egregiè navatam in

Latino-

Latinorum Bibliorum à Sixto V procuratâ editione operam, cùm Româ in patriam migrasset, anno æt. LVIII ad meliorem patriam migravit, ad B. Mariæ ab Antonio fratris F. sepultus.

Ex eadem Italia prodiit *Hieronymus Zanchius* Bergomas, qui paullò post Petri Martyris Vermilij discessum ob eandem caussam Argentinam concessit, & Vermilio in Angliam evocato, anno LIIII in munere successit. Postea Clavennæ in Rętia, dein Basileæ usque ad annum LXXVIII, ac postremò Neapoli Nemetum docuit, ac tandem Heidelbergæ XII Kal. Xbr. defecit anno æt. LXXV, ad B. Petri honorificè tumulatus. Scripsit multa quæ profundæ in Theologicis studiis eruditionis fidem faciunt, quorum partem, dum vixit, in lucem dedit, partem filij, quos plures reliquit, post mortem ejus publicarunt, summamque in scribendo moderationem servavit, & à scissura olim sarciendâ minimè se alienum ostendit; annum quippe agens LXX Fidei confessionem ad Ulixem

Martinengum Comitem Barchensem & patricium Venetum scripsit, & tam suo quàm familiæ propriæ nomine, sic enim titulus præfert, edendam curavit: quâ protestatur, se à Romana Ecclesia non simpliciter & in omnibus defecisse, sed in illis dutaxat rebus, in quibus ipsa defecit ab Apostolica, atque adeo à seipsa veteri & purâ Ecclesiâ, neque alio decessisse animo, quàm ut si correcta ad priorem Ecclesiæ formam redierit, ipse quoque ad illam revertatur, & communionem cum ea in suis porro cœtibus habeat: quod ut tandem fiat, toto animo Deum comprecari. Quid enim pio civi optatius, quàm ut ubi per Baptismum renatus est, ibi etiam in finem usque vivat, modo in Domino?

Amarior eo Romanæ Ecclesiæ & Pontificij nominis oppugnator *Iacobus Andræanus* qui Ioanni Brentio in Tubingensi Academia successerat, sæpius cum pastoribus Genevensibus congressus, & ante quinquennium cum Theodoro Beza ad

Pelicardi

Pelicardi montem, nuper vero Badæ coram Iacobo Marchione cum Ioanne Pistorio, disputatione sub anni superioris exitum institutâ, cum res illi ex voto non successisset, sive ex mœrore, sive jam annis ac laboribus fractus, domum reversus Ianuario proximo ineunte decessit. Iacobus autem post solutam disputationem, dimissis Augustanæ confessionis pastoribus, majorum religionem per ditionem suam restituit. Nec diu hic rerum status duravit, nam mox dysenteriâ correptus VII Eid. Vtilis ex hac vita migravit, Elizabethâ Florentij Culembugij in Batavia reguli F. gravidâ relictâ, quæ aliquantò post peperit Ernestum Iacobum ditionis heredem. Hujus tutelam levir viduæ & defuncti patruus Ernestus Fridericus Badensis cum suscepisset, statim ablegatis Pontificiis Augustanæ Confessionis ministros revocavit.

Nec silentio prætereundus videtur *Nicodemus Frischlinus*, quanquam non nisi cum præfatione dicendus, Balingæ ve-

tusto Sueviæ oppidulo natus, quippe qui cum ingenio nec mediocri ad Poëticam facultate & Astronomicæ rei scientiâ valeret, vitâ solutiore & impotenti blaterandi libidine, non solùm famam litteris quæsitam obscuravit, sed fortunam suam omnino evertit, ac postremò indignum vitâ litterariâ exitum habuit. Nam cum Græcij in Stiria, dein Lubeci in Carniola, dum in iis Austriacæ ditionis principiis Augustana Cõfessio toleraretur, nec nõ Friburgi Brisgoiæ, ac postremò Brunsuicæ in Saxonia in juventute instituendâ multum temporis trivisset, in Sueviam reversus & Tubingæ aliquandiu professus, postremò ob eandem linguæ petulantiam, in arcem Hohen-Anracensem ditionis Virtembergicæ sub custodia conjectus fuit, ex qua dum evadere conatur, rupto funiculo quo se demittebat, in aliam atque aliam petram subjectam præcipitans, confractis miserabiliter membris, interiit prid. Kal. Xbr. vix XLIV ætatis annum supergressus.

Ultimi referentur *Franc. Salinas* & *Ambros. Morales*. Salinas Ioannis, qui quæstorium munus sub Carolo V exercuit, F. Burgis natus, vix decennis oculorum usum amisit, cum Didymo Alexandrino quadamtenus ob id comparandus, quippe indole innatâ fretus, dum orbitati solatium quærit, tantum valuit, ut non solùm exactam utriusque linguæ cognitionem sit adeptus, sed etiam in Mathematicis artibus maximè excelluerit, ac præsertim in Musica, de qua eruditissimos libros reliquit, qui tanti à peritis harum rerum fiunt, ut aliunde potius quàm ab hominis industria profecti credantur. Inter hæc & Poëticam excoluit & ex Martiale Hispano ipse Hispanus quædam fælicissimè linguâ vernaculâ transtulit; in Paulli IV & Ferdinandi Alvari Toletani Albæ ducis gratia floruit, à quo dum regni Neapolitani summam præfecturam teneret, opimo S. Paneratij cœnobio donatus est; Ioannis Alvari, Tolerani denique Gasparis Quirogæ Roderici Castrensis, nec non Antonij

Perrenoli

Perrenoli Granvellani Cardinalium familiaris fuit, & arctissimam longè cum Lud. Legionensi Augustiniano eremitâ divinorum librorum in Academia Salmanticensi interprete, cujus elegantissima in Canticum Canticorum explanatio exstat, ob studiorum & consiliorum consensionem, coluit amicitiam, ubi Musicæ professor eximius consenuit, ad annum usque LXXVII, quo in vivis mense Febr. esse desiit.

Morales patriâ Cordubensis, Antonij præstantissimi Medici F. in litteris humanioribus & antiquitate patriâ indagandâ egregiè doctus, ab initio cum Dominicanorum Sodalitio nomen dedisset, à sodalibus ordine motus est, quòd vesano impetu instigante, ad refrænandas libidines sibi virilia exemplo Origenis Adamantij amputasset. Itaque ad priora studia revolutus Compluti, ubi studuerat, rursus Oratoriam professus est, & libris editis historiam patriam valdè illustravit, & à Floriano Campensi inchoatam persecutus, us-
que

que ad obitum Veremundi III Regis Legionensiũ, hoc est, annũ CIↄ XXXVII; ac tandem in eadem Academia LX major, hoc anno vitam cum morte commutavit.

Vltili mense itidem dignum flagitiosâ vitâ exitum habuit *Marcus Bragadinus* Mamugna vulgo dictus, in Insula Creta natus, ex cognomine familiâ Venetâ originem repetens, qui olim in Capucinorum, quos vocant, Sodalitio monasticam professus, postea abjectò cucullo, præstigiis suis magnum nomen meruerat, & fastosæ vitæ ostentatione multiplicandi auri artem callere creditus, secreti illius periculum Venetiis fecerat in ędibus Iacobi Contareni patricij Veneti, Hydrargyro in aurum sed exiguâ quantitate transfuso; Pataviique, quo se contulerat, magnus ob id ab omnis generis hominibus concursus fiebat, donec paulatim fraude & flagitiosâ nebulonis improbi vitâ detectâ, ipse clam in Noricum confugit, ubi in Aula Bajoariæ principis dum porro iisdem præstigiis

 fucum

fucum facere non desinit, principis jussu comprehensus ac Monaci securi percussus est. Unà & duo canes nigri Scloppetorum ictibus confossi, totidem malignos spiritus quibus ille ad præstigias suas abutebatur, celare crediti.

CIↃ IↃ XCI.

APud nos Iulio mense decessit sexagenario major *Iacobus Amiotus*, humili loco Meloduni patre lanio natus, ob magnam eruditionem Caroli IX & Henrici III pueritiæ erudiendæ appositus, & ab iisdem admodùm opimis sacerdotiis ditatus, ac Episcopatu Autissiodorensium & magni Eleemosynarij dignitate ornatus, qui seu senij infirmitate, sive muneris necessitate, cum ad gregem suum assiduus esset, Autissiodorensium furori, ut tunc tempora erant, morigerum se nimis gessisse,

ſiſſe, nec ſatis grato animo memoriam tot beneficiorum ab alumnis acceptorum conſervaſſe pleriſque viſus eſt. Huic Heliodori Æthiopica, & Longi Pæmenica vernaculâ linguâ fæliciſſimè expreſſa debemus, quanquam ſuppreſſo interpretis nomine edita ſunt. His præludiis periculum ingenij fecit, quod in majorum vigiliarum operibus poſtea exercuit, Diodoro, ac præcipue Plutarcho, licet majore plerumque elegantiâ, quàm fide, Gallicè redditis.

Ante Amiotum *Antonius Chandeus*, qui primùm Zamariel, dein *Zadëel* nomine ex Hebraico detorto dici voluit, antiquâ nobilitate in Seguſianis ortus, Genevæ ex febre hectica obiit III Non. Mart. ætatis anno LVII, cum ſcribendo ſeu docendo totos XXXVI annos inſumpſiſſet, inter ſuos magno in pretio habitus, & variis multorum ſcriptis præcipuè à Franciſco Turriano è Sodalitio Ieſuitico per Germaniam exagitatus.

Poſt eum ex noſtris commemorabitur

Hugo Donellus clarissimus Iuris interpres, Cabilone ad Ararim natus, qui cum primùm Avarici Biturigum diu docuisset, post tumultum Parisiensem solum patrium vertere coactus, Lugduni Batavorum aliquanto tempore hæsit, ac postremò ob suspiciones, de quibus diximus, in Altorphiana Norimbergensis Reip. celeberrima Academia nidum senectutis posuit, & pridie Eid. Majas fatis concessit, eodem quo Cujacius ætatis anno, eo minore famâ, quòd illius famæ voce & scriptis obstrepere totâ vitâ pro ludo habuerit.

Nostris addetur *Adolphus Metkercus* patricius Brugensis, vir litteris egregiè instructus, qui cum per eas inclarescere cœpisset, æstu motuum, qui Belgium concusserunt, abreptus, totam vitam legationibus obeundis ac negotiis tractandis ordinum primarius consiliarius consumpsit, ac tandem apud Elizabetham Angliæ Reginam orator, hoc anno XVII Kal. IXbr. Londini obiit, cum climactericum suum mensibus sex superasset, mœrore ex

Nicolai

Nicolai filij admodùm strenui ducis ad Daventriam interfecti nuncio, ut creditùm est, contracto.

Metkerco adjungetur, si non natalium claritudine par, at litterarum commendatione non inferior, *Victor Giselinus* à municipio Ostendæ propinquo Santfordano, in quo majores ejus honorificum locum tenuerunt, atque adeo à Cornelio Giselino genus ducens, qui Lovanij cum Iusto Lipsio & Iano Lernutio prima in litteris fecit stipendia, & inde simul in Sequanos Dolam profecti sunt; ipse in eâ urbe Doctoris Medici cepit insigne, angustiâ rei domesticæ pressus, & à Lipsio luculentâ oratione laudatus est, Otio & Musis quàm arti suæ addictior, cujus rei fidem fecerit vel Ovidiana Metamorphosis tanto studio ac diligentiâ edita: In Prudentio Poetâ Christiano, quem & castigatiorem edidit, majora commentatus est, quæ non perfecit; partem enim Iani Lernutii fidei commisit. Tandem per has turbas Vinocij-fanum,

 oppi-

oppidum cœnobio nobile, haut longe à Dunkerka venit, à Mostinio præsule invitatus honorario, quo se sustentavit, donec ægritudine oppressus, haut sexagenario major, die ante ex arte prædictâ quâ sibi abeundum esset, placidè ad Deum hoc anno migravit.

Ante eos omnes Romæ *Antonius Carafa* Cardinalis LIII annos natus, Romæ obijt pridie Eid. Ian. Is Reginaldum equitem & Ioanellam ex eâdem familiâ in regno Neapolitano perillustri parentes habuit, & à teneris annis in studiis litterarum educatus, cùm Gul. Sirleco præceptore usus linguæ Græcæ exactam cognitionem sibi comparasset, sub Paulo IV gentili suo primitias honorum in aulâ illa adhuc adolescens degustavit, & post ejus obitum, eâdem, quâ tota illa familia pœnè conflagravit, invidiâ oppressus, etiam opimis sacerdotiis, quæ possidebat, à Pio IV injuriosè spoliatus est, quibus demùm à Pio V Carafarum beneficiario restitutus est, qui & gratiam novo bene-

beneficio cumulavit, Carafâ in Collegium Cardinalium cooptato; qua in dignitate constitutus, vir pietati & studiis devotus, Iuri canonico emendando, Decretalibus epistolis colligendis, & Bibliorum Græcorum ac Latinorum, quæ Sixti V auspiciis facta est, editioni præfuit, operâ & industriâ usus Petri Morini presbyteri Parisiensis, Antonij Aquisi, Flaminij Nobilis Lucensis, Fulvij Ursini, aliorum, & post præceptorem Sirlecum Bibliothecarius, etiam scholæ Maronitarum à Gregorio institutæ patrocinium suscepit, & cum in Conciliis Græcis ac Latinis concinnandis laboraret, morte præcipitatâ gloriam præreptam Friderico Borromæo Cardinali suarum virtutum æmulatori transcribit. Mortuum laudaverunt certatim Thomas Bozius Eugubinus, Cæsar Baronius nobilis annalium Ecclesiasticorum scriptor, & luculentâ oratione Franciscus Bencius. Corpus ad S. Silvestri in monte Quirinali cum humili elogio, sicuti mandaverat, depositum fuit.

Eâdem

Eâdem in urbe IV Non. April. debitum naturæ persolvit *Henricus Gravius* ætatis suæ LV, qui post XX annorum publicam sacræ Theologiæ Lovanij professionem à Sixto V & Gregorio XIIII evocatus, ut Patrum edendorum emendationi præesset, in primo urbis ingressu, cum majores honores in illâ aulâ sperare posset, defecit, ad S. Mariæ Teutonicæ sepultus.

Meruit & sive moribus, sive eruditionis in hoc sexu raræ præstantiâ, ut quanquam latere voluerit, testimonio nostro innotescat, & plerisque fœminis, quæ seu jactatione populari, sive præstigiis hodie tantam famam meruerunt, præferatur, *Laurentia Strozzia* Zachariæ F. Kyriaci à nobis perhonorificè loco suo commemorati soror, quæ cum vitam religiosam septennis vovisset, & Sandominicano Sodalitio Prati in Etruria, in cœnobio S. Nicolai, nomen dedisset, Græcam Latinamque linguam in illâ solitudine apprimè didicit, & hymnos Latinos in cunctos festos

ſtos dies juxta Eccleſiæ Romanæ uſum metris, & Horatij imitatione, fęlicitate mirâ panxit, in devotæ vitæ exercitiis ac ſtudiis quandiu licuit aſſidua; ac tandem ex purpurata febre anno ætatis LXXVII in cellâ ſuâ ad beatorum ſedes migravit, IIII Eid. VIIbres.

CIↃ IↃ XCII.

Augerius Giſlerius Busbequius, vir eruditione, rerum agendarum peritiâ, candore & probitate inſignis, qui unam atque alteram legationem ad Portam Othomanicam ſub Ferdinando Cæſare magnâ ſuâ cum laude geſſit, & elegantiſſimis ac lectu jucundiſſimis epiſtolis explicavit, ex quibus quàm plurima in hos annaleis me tranſcripſiſſe ingenuè profiteor; cum in Belgium, hoc eſt, in patriam cum totâ familiâ remeaturus aditer ſe accinxiſſet, & ſecuritatis diplomata à rege & fœderatis haberet, nihilominùs fœde-

ratis juxta Dieppam in Neustria captus ac re omni suâ spoliatus, ad hæc crudeliter post tot injurias habitus est, unde dum litteræ à Meduanio exspectantur, ex indignatione mœrorem in senio lethalem contraxit, ex eoque intra paucos dies decessit V Kal. IXbr.

Busbequij me mentio admonet ut de aliis quibusdam eruditione & dignitate præstantibus viris agam. Primus commemorabitur *Io. Vincentius Laureus*, Tropæa celebri Calabriæ urbe natus, modicis sed honestæ condicionis parentibus, qui in familia Carafarum Nuceriæ Ducum educatus, cum Alfonso Neapoli, & postea Patavio litteris operam dedit, ubi utriusque linguæ cognitione sibi comparatâ, ad Philosophiæ & Medicinæ studia eâdem ingenij fælicitate se contulit, in quâ plurimùm excelluit, & P. Paulo Parisio Consentino Cardinali primùm operam navavit, ubi familiaritate usus Hugonis Boncompagnij, meruit ut dulci honestissimæ inter ipsos amicitiæ animum olim subeunte

eunte recordatione, ab eo postea Pontifice creato in Collegium Cardinalium cooptaretur, ad quam dignitatem antequàm promoveretur, post Parisij obitum operam itidem suam addixit Nicolao Gaddio Cardinali, dein & Francisco Cardinali Turnonio apud nos, à quo & opimis in Aruernis donatus est sacerdotiis. Inde mortuo Turnonio, in Antonij Navarræ regis familiam, à Guisio, ut aiunt, insinuatus est, cum metus esset, ne ille ab uxore & aliis, qui in comitatu ejus erant, persuasus ad Protestantium partes inclinaret: Antonio dein intra VII menses extincto, cum Hippolyto Cardinali Ferrariensi, qui tum munus legati in Gallia obibat, Romam revertitur, aulæ continuo usu & frequenti Magnatum familiaritate, ad insignem Medicinæ scientiam, rerum agendarum sollertiâ sibi comparatâ, quâ effectum est, ut in illo prudentissimorum virorum theatro protinus à Pio V Montisregalis Archiepiscopus creatus sit, legationibus obeundis destinatus, inter quas

insignis illa fuit, quam sub Gregorio XIII ad Sigismundum Augustum Poloniæ regem, & post ejus obitum, Henrico Andium Duce in regem electo, obiit, ac rursus cum Stephanus Bathorius in regnum vacuum venit, ubi & dexteritate ingenij effecisse putatur, ut Ioannes Suecus qui sororem Sigismundi Augusti, & Annæ Stephani uxoris in matrimonio habebat, per eorum, quos commemoravi, suggestionem passus sit Antonium Posseninum è sodalitio Iesuitico virum litteratum & tractandis negotiis summè idoneum, in aulam suam introduci, qui Sigismundum filium cum omni suâ familiâ ad sacra majorum reduxit; tandem à memori Pontifice Cardinalis creatus, jam tum oculos in se omnium converterat, quasi & ipse supremam dignitatem adepturus esset, ad idque casus ferè ei exitialis in augurium trahebatur. Nam cum juvenis olim ad Urbem primùm venisset, & spectaculis in pervigilio B. B. Petri & Paulli celebrari solitis interesset, casu in taurum furen-

furentem incidit, ab eoque cornibus in altum ſublatus ſine noxâ dimiſſus eſt. Certe poſtquam Cardinalis creatus eſt, in comitiis Sixt. V. Urbani VII, Gregorij XIIII, Innocentij IX, & Clementis VIII honorifica ſemper ejus mentio facta eſt, nihilque magis ei nocuit, quàm quòd operam olim Antonio Regis parenti addixiſſet, quod artificioſè ab Hiſpana factione in virum optimum & doctiſſimum, quem non tam Gallis addictum, quàm partibus ſuis minimè favere noverant, detortum eſt, ut illum collegio ex eâ causâ ſuſpectum redderent; tandem cum toties ſpem ſummi magiſtratûs ſacri, quo & digniſſimus fuiſſe creditur, deguſtaſſet, ſeptuagenarius anno exeunte XVII Kal. Ian. placidè ad Deum migravit, teſtamento condito, quo magni pretij ſupellectilem omnem congregationi ægris inſervientium legavit, ut qui ex ſcientia ægrotos curandi prima fortunæ incrementa ceperat, eoſdem hæredes haberet. Corpus ſicuti mandaverat, ſine ulla pompa

ad S. Clementis, quem titulum Cardinalis habuerat, cum modico elogio conditum est.

Ante eum *Michael Montanus* eques haut sexagenario major vitæ ultimum diem clausit, XV Kal. VIIIbr. in montibus Petrocoriorum, à quibus nobili familiæ nomen, ita dictus, olim in Burdigalensi Senatu assessor dignissimus cum Stephano Boetiano, quem & vivum indissolubili ámicitiâ persecutus est, & mortuum summâ religione coluit, vir libertatis ingenuæ, quam Conatus ejus, sic enim immortalia sui ingenij monumenta indigitavit, ad omnem posteritatem testabuntur. Burdigalæ Major, quæ dignitas primaria Provinciæ proceribus atque adeo præfectis defertur, dum Venetiis esset, electus, & à Iacobo Matignone Aquitaniæ præside consiliis de rerum summâ per hos motus adhibitus, mihi, dum in ea Provincia in Aula, atque adeo Lutetiæ posteà cum ipso versarer, studiorum & voluntatum consensione conjunctissimus.

Ex

Ex eodem genere commemorandus ſupereſt *Fridericus Furius Cæriolanus* Valentiæ Conteſtanorum natus, Montano noſtro minimè abnuendus comes, qui cum prima litterarum ſtipendia Lutetiæ feciſſet, inde Lovanium profectus cum Bononia Siculo Theologiæ profeſſore de bibliis in vernaculam linguam vertendis acri diſceptatione contendit, eamque in ſcripto comprehenſam in Germaniam profectus publicavit, atque ob id cenſoriæ notæ poſtea acumine perſtrictus eſt. Verùm rarâ hominis eruditione, & ſingulari animi candore atque caritate perſpectâ, Carolus Cæſar optimus ingeniorum cenſor eum & periculo exemit, & ex Germania ad Philippum filium miſit, à cujus comitatu ille deinceps nuſquam diſceſſit, & ardente bellis Belgio, nihil non fecit, ut conciliandarum rerum ratio iniretur, ſicuti ſuo loco demonſtravimus. Scripſit & de conſiliis & de conſiliarij officio, & totâ vitâ cœlebs, Pinciæ ad meliorem vitam haut paullùm Montano ſenior hoc anno migravit.

CIↃ

CIↃ IↃ XCIII.

HOc anno fatis conceſſit Romæ XI Kal. Vtil. *Latinus Latinius* Viterbienſis, octogeſimo ętatis anno, ad S. Mariæ in via lata ſepultus, ut præfert tumuli ab ipſo addita inſcriptio, ultimum gentis Latiniæ caput, qui ſacris veterum Patrum libris emendandis, ac præcipuè Tertulliano ad M. S. codices recognoſcendo operam totâ vitâ navavit.

Sed longè maximam non ſolùm Germania, ſed ubicunque litteræ in pretio ſunt, Chriſtianus orbis jacturam fecit, vivis exempto *Ioanne Leunclaio* nobili Angrivario utrâque linguâ doctiſſimo, juris Romani Græcique conſultiſſimo, & rerum Turcicarum apprimè perito, ad quas linguæ ipſius Byſantinâ peregrinatione comparatam cognitionem, exactam ultimæ hiſtoriæ Græcæ lectionem & acre ac admirandum judicium attulit; quod non ſolùm

ſolùm in ſcriptis ab ipſo, dum viveret, publicatis, ſed in iis quæ poſt mortem ejus edita ſunt, elucet. Tandem ſexagenario paullò minor, vir longiore vitâ dignus Viennæ Auſtriacæ eodem menſe Iunio defecit, non ſolùm ſui, ſed & Conſtantinopolitanæ hiſtoriæ, cujus ſpem fecerat, relicto incredibili deſiderio.

CIↃ IↃ XCIV.

HOc anno, menſe Februario ad meliorem vitam migravit octogeſimum quartum annum ſupergreſſus Cadilliaci in arce ſua ad Garumnam *Franciſcus Foxius Candala* longe illuſtriſſimâ familiâ natus, quæ tot reges, principes, præſules ac præſtantes belli duces orbi Chriſtiano dedit, ſed eruditione ac moribus multò illuſtrior, qui modicam in litteris inſtitutionem, feſtinatâ honorum in gentili aula prenſatione, jam in ipſa pueritia interruptam ſuopte ingenio ſupplevit, & quæ vix

 alij

alij optimis præceptoribus præeuntibus percipiunt, insitâ ad artes ac præcipuè Mathematicas perdiscendas naturâ facili ita in teneris annis hausit, ut earum amorem ac studium toto longissimæ ac honorosicentissimæ vitæ cursu nunquam intermiserit, & in illis multa adinvenerit, atque ad veterum scita ingenij facilitate addiderit, ultimo elogio summam pietatem & caritatem non solùm erga genus humanum, sed etiam erga litteras testatus, cum & in antidoti salutaris à se reperti confectionẽ, ne sumptu parcituri deterrerentur, & in Mathematicam professionem Burdigalę institutam annuum vectigal legavit. Opera ejus ad immortalitatem scripta, quandiu orbis stabit, durabunt; & imprudens sim, ni tanti nominis commemoratione immensis laboribus nostris decus addi sperem; adde etiam ingratus, si, qui vivum, dum in Aquitania essem, assidue colui, mortuo hac animi memoris testificatione non parentâssem.

Haut multo post pridie Non. Maias

Plautus

Plautus Bencius patrimoniali Etruriæ oppido, cui Aquæ-pendenti nomen, natus, virtute & eruditione quàm natalibus clarior, ex hoc mortali carcere ad ſempiternam evolavit felicitatem, vir candidis moribus, ac miti ingenio, magnatibus ac litteratis æquè gratus, qui M. Antonio Mureto noſtrati operâ Romæ navatâ tantùm Latinè ſcribendi facultate ſive verſibus ſive ſolutâ oratione valuit, ut digniſſimus tanto præceptore diſcipulus haberetur. Poſtea ſodalitio Ieſuitico nomen dedit, & Plauti, quod parentes indiderant, nomen in Franciſci mutavit, & elegantiſſimis orationibus ac verſibus in ea ſocietate editis opinionem de ſe conceptam ſuperavit, hancque de ſe optimè merito præceptori gratiam rependit, ut hominem in litteris humanioribus ſeneſcentem ad ſtudia pietatis provocaverit; quem & mortuum laudavit. Deceſsit Romæ fere quinquagenarius.

Claudius Puteanus Clementis in ſenatu celeberrimi cauſſarum patroni F. hunc

etiam annum morte suâ funestum fecit, haut multo Bencio junior, qui à puero sub optimis magistris Ioanne Stracelio, Hadriano Turnebo, Ioanne Aurato, & postea Dionysio Lambino litteris operam dedit. Inde jus civile sub principe jurisperitorum Iacobo Cujacio didicit, & variis in peregrinationibus doctissimorum toto orbe virorum familiaritate usus, Ursini, Victorij, Manutij, Sigonij, ipsorum testimonio meruit, ut primas inter litteratos teneret, honorificè ubique in eorum scriptis appellatus. Nam nihil scripsit, judicioque peracri, quo in censendis aliorum scriptis plurimùm valebat, potius alienæ gloriæ quàm propriæ servivit. Demum in ordinem amplissimum cooptatus, ut in litteratorum consessu, sic in illo Senatu principem locum facilè tenuit, cunctis ejus incorruptam probitatem, in enodandis Iuris quæstionibus profundam doctrinam, in solvendis litium tricis solertiam stupentibus; arctissimam in Italia amicitiam coluit cum Ioanne Vincetio Pinello Patricio Genuensi

nuensi omni litterarum genere ac rerum cognitione viro excultissimo, & Philologorum fautore eximio, quam crebris officiis, postquam domum rediit, semper renovans, ad mortem usque servavit. Bellorum civilium incommoditates domo pulsus constantissimè pertulit, ac sine ullâ privati sensûs significatione, in moderata fortuna ingentes ac supra conditionem generosos spiritus gerens, ut quanquam numerosâ prole auctus, tamen alieno prorsus ab omni quæstu animo vixerit, omnemque rei domesticæ curam dilectissimæ conjugi Claudiæ Sanguineæ tanquam se indignam resignaverit. Ad extremum morbo studiosis fatali correptus est, ingenti calculorum strue velut rupe in renibus enatâ, quæ meatibus interclusis ventriculum subvertit, & optimè de Repub. meritum civem mihi proximâ quidem cognatione cum ejus uxore, sed arctiore studiorum & voluntatum consensione longe cum ipso conjuncto, & bonis omnibus Kal. Xbribus eripuit. Elatus est

Senatorio funere ad B. Sulpicij in paterno monumento conditus, veris priùs laudibus à viro laudatissimo Achille Harlæo amplissimi ordinis principe in Senatu laudatus, & postea multis multorum carminibus epitaphiis, quæ à Christophoro, Augustino, Petro, dignissimis tanto patre filiis, publicata sunt, deploratus.

Annum fere clausit mors *Gerardi Mercatoris* Iuliaco oriundi, & Rupelmondæ in Pleumosiis nati, qui Silvæ-ducis sub Georgio Macropedio primis litterarum rudimentis initiatus, postea Lovanij Philosophicis studiis ac Mathematicis dein artibus se totum mancipavit, & admodùm juvenis ad sculpendas tabulas animum applicuit, Gemma Frisio præceptore & auctore; atque inde in familiaritatem Caroli V venit, instrumentis Mathematicis mirâ arte ejus jussu fabricatis, quæ bello contra Protestantes suscepto, dum Cæsar castra ad Ingolstadium haberet, fortuito incendio liquefacta ac consumpta sunt; postea Lovanio Duisburgum cum

uxore

uxore ac liberis migravit, & in familia illustrissimi Wilielmi Cliviæ Ducis honoraria stipendia fecit, & Cl. Ptolomei tabulas restituit ac elegantissimè descripsit. Cumque de edendis totius orbis tabulis jam à se elaboratis cogitaret, cognito Abrahamum Ortelium idem opus urgere, inchoatum laborem inhibuit, donec Ortelius exemplaria omnia sua distraxisset, ne aut industriæ aut commodis viri amicissimi præcipitatâ suorum editione officeret. Postea jam inclinatâ ætate, ad Theologica studia animum adjecit, & harmoniam Evangelicam & alia in sacros libros conscripsit, cum Chronologiam antea scripsisset ad Solis & Lunæ cursum exactissimè putatam, quam Onufrius Panuinus harum rerum acerrimus judex tanti fecit, ut omnibus ab aliis ubicunque editis præferre non dubitaverit. Tandem vir tot laboribus pro re litteraria exantlatis bene meritus, senio confectus, Duisburgi ubi larem posuerat, decessit IIII. Non. Xbr. cum annos XXCII, menses

VIII,

VIII, & XXVIII dies exegisset.

Nec silentio præteriri debet *Orlandus Lassus* rei Musicæ præstanti scientiâ nostrâ ætate clarissimus, Bergis in Hannonia natus; nam hæc præcipua Belgij laus est, quòd semper inter alias nationes excellentibus rei Musicæ Doctoribus abundavit; is fato excellentium symphoniacorum, adhuc puer ob vocis suavitatem aliquoties plagio raptus, cum Ferdinando Gonzagæ in Sicilia & Mediolani operam aliquandiu navasset, dein Neapoli, & postea Romæ jam grandior biennium præfuisset, post peregrinationes in Galliam & Angliam cum Iulio Cæsare Brancatio susceptas, tandem in Belgium rediit, aliquot annis Antuerpiæ versatus, unde ab Alberto Baioariæ Duce evocatus, larem in ejus aula fixit, & uxorem duxit; postea à Carolo IX Rege magnis præmiis invitatus ut Musici chori sui, quem generosus princeps circa se semper lectissimum habebat, magisterium susciperet, cum in eo esset, ut familiam & fortunas suas in Galliam

liam transferret, superventu mortis Caroli de via, in quam jam se dederat, revocatus, rursus quam Alberto parenti, eandem Guilielmo ejus filio operam addixit, & cantionibus harmonicis tam sacris quàm profanis omnium linguarum passim XXV annorum spatio editis celebratissimus, maturâ morte Monaci hoc anno III Non. Iunias decessit, cum LXXIII excessisset.

Postremus dicetur *Cornelius Bonaventura Bertramus* Thoartio nobilissimo Tremolliorum oppido in Pictonibus honestâ familiâ natus, qui Lutetiæ prima literarum fecit stipendia sub Hadriano Turnebo, & Io. Stratelio, dein sub Angelo Caninio Orient. linguarum petitissimo Hebraicæ operam dedit: inde Tolosam & Divonam Cadurcorum profectus, Iuris civilis scientiæ incubuit, atque interim linguam Hebraicam à Caninio præceptam cum Francisco Roaldesio tunc temporis jus civile in ea Academia profitente penitiùs imbibit, cumque vix in tumultu Cadurcensi, de quo suo loco diximus, infe-

 stas

ſtas perſequentium manus effugiſſet, Genevam ſe contulit, biennioque poſt ſedem vacuam per A. Rodolfi Cevallerii, de quo pariter ad annum LXXII locuti ſumus, abſentiam nactus, linguam Hebraicam publicè in eâ urbe docuit, ac ſub id tempus theſaurum Santis Pagnini magnâ acceſſione ex obſervationibus Ioan. Merceri, ipſius Cevallerii, ac ſuis locupletatum edidit; nec non & Hebraicæ linguæ & Arameæ comparationem, & de Politia Iudaica commentarium, qui ex omnibus ejus operibus maximè commendatur. Poſtea relictâ Genevâ, Frankentalam in Palatinatu profectus, anno LXXXVI, in ſuo munere aſſiduus lucubrationes Frankentalenſes à loco dictas publicavit; ac tandem à Bernatum Republica Lauſanam evocatus, in publica profeſſione anno climacterico ſuo defecit.

Primus

CIↄ Iↄ XCV.

PRimus dicetur *Lævinus Torrentius*, patriâ Gandensis, qui cum literarum tyrocinium in pueritia Lovanii fecisset, Bononiæ juris civilis & melioris antiquitatis cognitionem non vulgarem adeptus est, doctissimorum virorum, qui tunc in Italia florebant, Patavii, Romæ, Venetiis, consuetudine usus, ingeniumque in pangendis versibus præcipuè exercuit. Domum reversus, ab Everardo Marciano Cardinali Leodicensi Episcopo ob singularem eruditionem cum summâ morum probitate conjunctam in familiam ascitus, & honorifico sacerdotio donatus. Demùm variis legationibus summâ cum prudentiæ laude defunctus, post Franciscum Sonnium primum Antuerpiæ Episcopum eâ dignitate post receptam à Parmensi urbem ornatus

est, in eoque munere septuagenario major decessit VI Kal. Mai.

Eodem die quo Torrentius ad Deum abiit, ex hac vita migravit Romæ ad S. Onufrii à Collegii sodalibus sepultus *Torquatus Tassus*, Bernardi, cujus et Epistolæ & carmina vernacula extant, F. annos natus plùs minùs XLV, vir admirabili ac portentoso ingenio, qui insanabili in adolescentia furore correptus, cum in Ferrariensi Aula degeret, & nihilominùs per dilucida intervalla, tanto judicio, elegantiâ, ac castissimo stylo plurima & solutâ & pedibus astrictâ oratione scripsit, ut misericordiam, quâ plerique ejus vicem prosequebantur, tandem in stuporem verterit, dum furore illo, qui in aliis mentes efferat aut hebetat, ingenium ejus veluti defæcatum, in rebus inveniendis expeditius, inventis aptè digerendis acutius, & sententiarum gravitate ac verborum delectu ornandis copiosius à morbo surgit, & quod sanissimus quisque vix summâ curâ ac labore per otium extunderet, ipse post violentam

lentam mentis emotæ agitationem sponte ac fælicitate mirâ perficit, ut non alienatione mentis perculsus, sed æstro divino percitus videretur. Hæc qui nesciat, quæ omneis, qui in Italia fuerunt, noverunt, & de quibus ipse interdum in scriptis suis, quamquam sobriè, conqueritur, & divina ejus scripta legat, aut de alio quàm de Tasso me loqui, aut ab alio quàm Tasso hæc scripta pronunciet, necesse est.

Idem mensis funestus fuit tribus de republica literaria bene meritis in Saxonia professoribus, *Reinero Reineccio* Steinheimensi, qui Syntagmate genealogico ac historico summâ diligentiâ ac fide concinnato aliisque scriptis magnam gratiam à studiosis inivit, & literas diu in Academia Iulia professus, eodem, quo illi, de quibus modo dixi, die in vivis esse desiit; & *Michaeli Neandro* Soraviæ in Quadis nato, qui in Isfeldiensi schola à Thoma Scangio præsule postremo ad Hercyniam institutâ totos XL annos trium linguarum cognitione clarus docuit, ac septuagenarius decimo

post Reineccium die defecit. Tristior quò acerbior mors fuit *Valentis Acidalii* Wistochii in limite Brandeburgico nati, adolescentis summæ spei & eruditionis, qui post Italicam peregrinationem cum Uratislaviam rediisset, inde Nyssam evocatus, morbo familiari, quem ex nimiis vigiliis in adornandis Plautinis divinationibus contraxerat, correptus, tertio post die VIII. Kal. Iun. decessit, cum vix annum XXVIII excessisset.

Annum clausit *Gulielmus Vitakerus*, utroque parente Lancastrensi familiâ honestâ in prædio Holmio natus, magni nominis inter suos Theologus, qui Iuelli Salisberiensis sive imitatione sive æmulatione, cum Edmundo Campiano, Ioanne Duræo, Thomâ Stapletono, aliis totâ vitâ scriptis disputavit, & Cantabrigiæ obiit, quanquam vix XLVII ætatis annum superasset, ita viribus defectus, ut instar infantuli placidè ac sine ulla convulsione spiritum efflaverit.

Hoc eodem anno ad vitam æternam

VIII Kal. Iun. evolavit octogenarius *Philippus Nerius*, patriâ Florentinus, Francisco & Lucretiâ Soldâ parentibus natus, qui secundâ sanctitatis vitæ famâ Romæ diu vixit, congregationē presbyterorum Oratorii fundavit, Cæsari Baronio ex eodem sodalitio sacerdoti, qui postea in Cardinalium collegium cooptatus est, Annalium Ecclesiasticorum adversus Magdeburgicorum Theologorum Centurias scribendorum auctor fuit. Ejus vitam ac facta dictáque, quandiu Romæ vixit, libris III copiosè ac fere dietim scripsit Antonius Gallonius, ut qui plura scripserit, Nerio & ipsius gloriæ tam præclaro præconi injuriam fecerit.

CIↃ IↃ XCVI.

FUit hic annus multorum virorum literis illustrium mortibus tristis. Primus memorabitur *Franc. Toletus* Corduba utriusque

utriusque Senecæ cunis nobilissimâ Bæticæ civitate, cæterùm humili loco natus; qui animi virtutibus & sedulâ institutione, quod ipsi à natalibus deerat, supplevit, Salmanticæ brevi magnum nomen adeptus, ita ut Philosophiæ Professor primâ adolescentiâ fuerit, quod non nisi jam ætate provectâ alii consequuntur. Postea pietatis studiis cum se totum devovisset, Iesuitico Sodalitio, quod illo tempore passim in Hispania & præcipuè Salmanticæ florebat, nomen dedit, & Romam evocatus, Gymnasio cum aliquot annis præfuisset, à sacris concionibus Pio V, post Benedictum Palmium & Alfonsum Salmeronem, fuit, & magnis negotiis par tractandis, Io. Franc. Commendono Cardinali in Germaniam ad Maximilianum Cæsarem & Sigismundum Augustum Poloniæ regem, ut de sacro fœdere contra Turcas iciendo ageret, legato comes additus non minorem prudentiæ, quàm antea eruditionis ac pietatis laudem meruit. Dein sub Gregorio VIII magnis negotiis disceptandis adhibitus fuit,

fuit, & sub Sixto V Bibliis recognoscendis operam navavit, ac tandem à Clemente VIII, primus ex ea Societate, in collegium Cardinalium cooptatus est. Ante triennium in negotio de regis cum Sanctâ sede reconciliatione admodùm promptam & egregiam navavit operam. Ac tandem hoc anno XVIII Kal. VIIIbris in palatio Vaticano placidè ad Deum migravit, LXXIV annum supergressus, & ad S. Mariæ majoris marmoreo tumulo à Basilicæ illius sodalibus, quibus pecuniam ad pios usus legaverat, honorificè conditus est. Scripsit multa, quorum præcipua sunt quæ in Aristotelem, deinde in Ioannem, Lucam, & Epistolam ad Romanos edita sunt. Conciones ab eo habitæ, & scriptis postea mandatæ, nondum lucem viderunt.

Ante Toletum eo quadriennio major prid. Kal. Mart. Pisis obiit *Pet. Angelius* Barga Etruriæ Castello natus, variis peregrinationibus in adolescentia per Græciam & Asiam exercitatus, & postea Pisis complures annos in florentissimo gym-

nasio humaniores litteras professus, & Romæ in Comitatu Ferdinandi Medicis tunc Cardinalis postea commoratus. Poëticâ præcipuè excelluit, & Cynegetica ejus ac Syrias meritò inter complura alia egregia excellentis illius ingenij monumenta commendantur. Virginiam filiam reliquit, quæ patris exuvias in sepulchrum Boccarum, quæ familia in ea civitate nobilissima est, Iosepho Bocca permittente, in majoris templi cœmeterio recondi curavit.

Fridericus Sylburgius Vetteris, quod Cattorum oppidum est, ortus, minimè prætermittendus videtur, qui quàm plurima veterum, præsertim Græcorum, scripta partim jam edita, denuò recognita, ac variis lectionibus, notis indicibusque illustravit, partim primùm ipse summâ curâ adhibitâ publicavit, eoque nomine magnam ab omnibus, qui rei litterariæ consultum cupiunt, & à posteritate non ingratâ inivit gratiam, eóque majorem meruit laudem, quòd in tam laudabili publicæ

licę utilitatis promovendæ studio assiduus, propriam gloriam contemnere visus est. Decessit Heidelbergæ XV Kal. Mart. non ita senex, sed improbo labore ac vigiliis attenuato corpore, ad B. Petri sepultus.

Sub id & *Janus Duza* Iani & litterarum & fortitudinis in Lugdunensi obsidione olim probatæ nomine clari filius, juvenis admirabili ingenio, excellenti doctrinâ cum rarâ morum suavitate conjunctâ præditus, cum ex peregrinatione longinqua rediisset, quasi in portu naufragium fecit, anno ætatis XXIV ereptus.

Ut nostros dicam, *Nicolaus Vignerius* feriis Paschal. Lutetiæ decessit, Barro ad Sequanam in Campania nostra anno *CIↃ IↃ XXX* natus patre fisci patrono, nec tenui nec obscurâ familiâ; sed attritis opibus, ob bella civilia solum vertere coactus est, & in Germaniæ Principum aulis aliquandiu Medicinam fecit. Inter Philosophiæ & præstantissimæ illius scientiæ, in qua fæliciter excelluit, studia præ-

cipuam habuit Historiæ omnis & temporum ad exactum calculum putatæ rationis cognitionem, & jam ante Onufrii Panuini & Caroli Sigonii Fastos editos illustrandæ antiquitati Rom. eandem curam impenderat, ab iis interdum diversa sentiens; & tamen cum illi prævertissent, ne actum agere videretur, ab iis edendis, quâ erat modestiâ, abstinuit, & de Fastis commentarium vernaculè scriptum, quo tantùm quosdam eorum annos in antiquitate controversos discutit, publicare satis habuit. Multa præterea illustrandæ Historiæ scripsit, sed inter alia insigne extat opus Chronologicum ab ipso, cum beneficio pacis post longam à suis absentiam honorificis à Rege stipendiis invitatus Lutetiam venisset, editum, quo à primis mundi incunabulis certas temporum epochas, Imperiorum Regnorumque initia & conversiones, veras populorum & familiarum origines, admirabili curâ ac judicio excussit, digessit, explicavit. Ecclesiasticam Historiam Autori postumam, cum nondum

ultimam

ultimam ejus manum recepisset, Nicolaus & Ioannes filii publicarunt.

Post eum commemorandus venit *Ioannes Bodinus* in Andibus natus, & puer, ut quidam certò affirmarunt, in Carmelitarum cœnobio vitam religiosam professus, dein voto immaturâ ætate facto solutus, gnaviter litteris operam dedit, linguarúmque non vulgari peritiâ sibi comparatâ, omnium artium circularem ambitum animo ingenti complexus est: cumque initio in foro Parisiensi patronum egisset, contentiosæ illius militiæ pertæsus, scriptioni se totum addixit, periculoque in Oppiani Cynegeticis ingenii facto, quæ & eleganter Latinè ac scitè vertit, & doctissimo commentario interpretatus est, egregio documento per illa quantum in literis humanioribus valeret, edito; mox animum ad majora appulit, & post methodum historicam, & de re monetaria accuratas contra Malastretum dissertationes, opus magnum de Republicâ Gallicè publicavit, in quo ut omni scientiarum genere

non tincti, sed imbuti ingenii fidem fecit, sic nonnullis, qui rectè judicant, non omnino ab ostentationis innato gentis vitio vacuum se probavit. Postea & Dæmonomaniam Gallicè itidem scripsit, in qua dum materiam ab aliis tantoperè agitatam adversus Ioannis Wieri plerumque sententiam enucleatiùs retractat, magicæ rei ac vetitarum istiusmodi artium crimen minimè effugit. Dum hæc scriberet, à Rege Henrico III, qui literatis disceptationibus per otium oblectabatur, ad familiare secretum cum plerisque aliis viris doctis sæpius est admissus, magnamque laudem ex iis reportavit, quippe qui ingenium in numerato haberet, & paratum ad omnia quæ proponerentur, pulcherrimam rerum copiam, quâ pollebat, acri memoriâ effunderet; æmulatione dein quorundam, qui in aula plus poterant, cum se gratiæ loco motum videret, in Francisci Alençoniorum Ducis, qui postea Belgicarum provinciarũ Ordinibus deferentibus principatum inivit, familiâ ob raram eruditionem

nem & non vulgarem rerum externarum cognitionem honorificum locum tenuit, eumque in Angliam & Belgium aliquot annis ſecutus eſt. Poſtea eo mortuo, Laoduni Clavati præturâ donatus eſt, ad quam ſe recepit, & jus magnâ probitatis & integritatis opinione aſſiduè dixit, uſque ad annum CIↃ IↃ XXCVIII, quò turbatis ubique rebus, cum ab initio Proteſtantium doctrinæ addictus crederetur, neque tunc ab ea multùm alienus putaretur, Henoticæ factioni cum aliis novem dedit, & multa de Rege, legitimoque ejus ſucceſſore haut ſatis dignè pronunciavit, quæ magno factioſorum plauſu ubique evulgata ſunt. Sed eum errorem admirabili de inſperata horum motuum clauſula præſagio ſtatim emendavit, annumque & menſem, quo pax, cum minùs putabatur, coitura eſſet, prædixit, eventuſque ejus judicium comprobavit. Demùm hoc anno ineunte Maio ſeptuagenario major peſtiferâ lue correptus, publicato priùs naturæ theatro, quo rerum cauſas ac effectiones ad principia ſua

repetitas

repetitas exequitur, quasi cycneâ cantione vitam variis studiis, sic & fortunâ agitatam Laoduni clausit.

Lambertus Danæus Aureliano natus castris in Septimania, quo se Orthesio, in Benearni pago, ubi docebat, contulerat, decessit.

Anutium Foesium & hic annus abstulit, qui Divoduni Mediomatricum natus, Lutetię Parisiorum post utriusque linguę exactam peritiam, & Philosophiæ decursum curriculum, Medicæ laureæ sumpsit insignia, atque inde in patriam reversus, XL annos medicinam summâ inter concives suos peritiæ ac fælicitatis laude fecit, à Lotaringiæ principibus sæpe per occasionem evocatus, quibus tamen operam suam libertatis ingenuæ & in studiis assiduus nunquam addiscere voluit. Principium lucubrationum à libro II Hippocratis de morbis vulgaribus fecit, quem Latinè versum copiosissimis commentariis explicavit anno ætatis XXX; dein Pharmacopæam quoque edidit; Postea cum Oeconomiam Hippocratis

pocratis sive Nomenclatorem publico dedisset, certatim non solùm à Gallis, sed Germanis & Italis rei Medicæ studiosis rogatus fuit, quòd Hippocratis editio à Hieronymo Mercuriali nuper publicæ expectationi minime satisfaceret, ut ipse totum Hippocratem vertendum susciperet, quod periculo perfectæ tanti auctoris cognitionis in Nomenclatore suo facto, probè consecturum eum cuncti rebantur. Igitur opus multarum vigiliarum aggressus, Græca ad MS. exemplaria & plerasque editiones contulit, & exacto studio elaboratam versionem ac commentarios addidit, suâq; industriâ effecit, ne Gallia, quæ in re medica inter cæteras nationes semper primas tulit, in principe tantæ scientiæ scriptore edendo Italis Germanisve cederet. Tandem emeritus senex post tot exantlatos pro republicâ labores annos natus LXVIII urbe in patria decessit VII Kal. VIIIbris.

Eodem mense anno æt. LVI decessit *Q. Septimius Florens Christianus*, Gulielmi ex nobili in Armoricis familiâ oriundi,

quique inter Henrici II medicos primarium locum tenuit, etiam literis elegantioribus haud mediocriter excultus, ut ex Ocelli Luciani verſione patet, filius; ſic dictus, quòd numero quintus ex compluribus liberis ſeptimo menſe natus eſſet. Utriuſque linguæ peritiâ & verſuum iiſdem linguis pangendorum laude cum priſcis ipſis comparandus: ad hæc ingenio excelſo & liberali præditus, ut nihil ſerviliter & contra animi ſententiam, ut aliis placeret, quod plerique alii calamo venali hodie faciunt, ſcriberet. Interdum mordacior, ita tamen ut non tam ſenſum doloris in eorum ingeniis, quos mordebat, quàm ſtimulum ad ſe ab ijſdem amandum relinqueret. Itaque Petrus Ronſardus, qui Poëticam noſtrâ ætate ad ſummum culmen evexit, & Vidus Faber Pibracius, à me tam ſæpe honorificè appellatus, poſtquam à Florente aculeatè perſtricti ſunt, ab eodem amari & laudari in magna gloriæ parte duxerunt. Regi, qui nunc fæliciter imperat, ab inſtitutione fuit, & cum Aurelia-

no,

no, ubi munia quædam militaria ſtrenuè obierat, Vindocinum lares tranſtuliſſet, in oppidi ab Henoticis occupatione oppreſſus, & expugnatione poſtea captus, memoris diſcipuli benignitate è manibus graſſatorum ereptus eſt, qui pretium pro ipſo exſolvi curavit. Pleraque ſcripſit Græcè & Latinè, nec non & vernaculâ linguâ, quorum majorem partem apud Claudium filium adhuc latent, aliquando lucem magno ſtudioſorum & elegantiorum ingeniorum bono viſura.

Amico artâ mecum neceſſitudine conjuncto, quod inſcripta mihi ipſius quædam ad æternitatem victura monumenta teſtantur, alterum uberibus lachrymis deflendum cogor adjungere, *Petrum Pithæum* Auguſtobonæ Tricaſſium natum, familiâ nobili ex inferiore Neuſtria oriundum, virum noſtrâ ætate maximum, ſive probitatem morum, & veram nec fucatam pietatem, ſive ingenium excellens, exactámque & omnium rerum, quas perſpectas habuit, (habuit autem plus quàm

alius quisquam multis retro seculis) reconditam cognitionem, & tum in suis, tum in alienis cernendis acre & ab omni livore purum judicium spectes; cum enim sic vitam instituisset, ut commoda publica ubique propriis negotiis præverteret, toto laudatissimæ ejus vitæ decursæ spatio in literarum studiis sic versatus est, ut assiduè exquirendo & scrutando bibliothecas, antiquorum scripta vel à mendis, vel ab interitu vindicaret, vel alios quos in ea re aliquid posse judicabat, exhortando, impellendo atque juvando, nullo tempore non aliquid moveret ac promoveret; sub ipsum vitæ exitum B. Hilarii fragmentis historicis & Phædri Augusti liberti fabulis publicatis. Et ut alia in illum meritò à Nicolao Fabro individuo vitæ & studiorum Pithæi comite cumulata elogia non sileam, nemo meliùs unquam unum quempiam auctorem novit, quàm ipse omnes antiquos utriusque linguæ scriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, & concoxerat. Nemo priva-

ta

ta & domeſtica negotia exactiùs tenuit, quam ipſe Gallicam externamque hiſtoriam, origines populorum, deſcriptiones temporum, ſucceſſiones familiarum, bella, fœdera, conventiones, vel exterorum inter ſe vel nobiſcum geſta, leges, mores, conſuetudines provinciarum, ſingularumve urbium, quarum omnium rerum à teneris annis indefeſſo labore ſibi perfectam notitiam tum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archivis regiis, Senatûs, Rationalium, urbium, Monaſteriorum comparaverat, inſtrumentorumque ipſorum atque actorum bonam partem propriâ manu deſcripſerat. In jure autem civili Romanorum ad illud faſtigium pervenerat, ut de eo, celeberrimoque ejus præceptore Iacobo Cujacio dici jure potuerit, hunc diſcipulo præripuiſſe ne primus Iuriſconſultus eſſet, illum præceptori, ne ſolus. Verùm hæc omnia, quæ in quovis homine ſingula magnum virum & cum cura dicendum efficiant, in Pithæo coacervata, eundem ad ſummum laudis

 culmen

culmen evehebant, quantula portio ſunt illius ſapientiæ, quam ingenii, judiciique fęlicitate ex rerum cognitione aſſiduâ lectione atq; uſu comparatâ, velut ex antiquorum omnium inventis, qui ſapientiæ commendatione floruerunt, conflatam ſibi quæſiverat? quantum à civili prudentia abſunt, quâ prædítus ille non ſolùm de privatis rebus & fori maximâ cum facilitate & æquitate reſpondere ac ſtatuere, ſed etiam de iis, quæ ad ſummam Remp. ſpectant, ſapienter deliberare, conſiliorum exitus proſpicere, dubiis ac periculoſis eventis providè occurrere noverat? nam quamvis ab omni ambitione vitæque fulgore, niſi quem virtus emitteret, alieniſſimus vixerit, & honores ac magiſtratus vel ultrò delatos ſemper reſpuerit, tamen patriæ juvandæ deſiderio, quo ultra modum flagrabat, eos, quos ſua ſors clavo admoverat, aſſiduè excitabat, aut commonefaciebat, ſuggerebatque quæ vel ab antiquis paribus negotiis probata fuerant, vel ipſe, ut erat peracri ac ſolidiſsimo judicio, facienda

exiſti-

existimabat; nec illi temerè quicquã magni momenti aggrediebantur, de quo non ante Pithęum consuluissent, ita ut privatus publicum negotium, & absque purpura perpetuum magistratum gessisse videatur; innocentiâ atque indeflexo per omnes vitæ partes probitatis tenore id prętere a consecutus, ut non solùm Togatorum doctissimus, sed & prudentissimus Iurisconsultus, civis optimus, ac planè vir bonus audiret. Præter innumera veterum scripta è tenebris, dum inter nos degeret, primùm eruta, aut meliora publico data, moriens reliquit Conciliorum Gallicorum diligenter conquisitorum ac digestorum collectionem Francisci fratris viri doctissimi fidei, ut ederet, commissam; vixit annos LVII, ad æternam beatitudinem evolauit, Novigenti ad Sequanam, quo se grassante Augustobonæ Tricassium per illum autumnum populari morbo contulerat, Kalend. IXbris natali suo; quo eodem die parens meus ante XIV annos obiit, quem Pithæus & vivum coluit, & mortuum in me porro

colere

colere non desiit, ita ut incomparabilis amici morte, quîcum partiri curas, & non solùm de studiis, sed etiam de Repub. consilia communicare consueveram, cœptæ Historiæ pensum protinus è manibus excusserim, abjecissemque prorsus, nisi tanti viri & de me ac patriâ tam bene meriti memoriæ hoc debere existimassem, ut quod illo auctore inchoaveram, ad publicam utilitatem, cui nostram in ea parte industriam prodesse olim judicabat, quamvis tanto adjutore destitutus, aliis undecunque quæ ab illo solo ab initio speraveram, conquisitis subsidiis ad exitum tandem perducerem.

CIↃ IↃ XCVII.

APud nos hoc anno *Gilbertus Genebrardus* patriâ Arvernus, professione Benedictinus, Semurii in Heduis, ubi opimum Sacerdotium habebat, in vivis esse

desiit,

desiit, sexagenario major, qui diu literas Hebraicas magnâ frequentiâ in regio auditorio Lutetiæ docuit, & per has turbas non interveniente regii nominis autoritate, Aquensis Archiepiscopus creatus est, ob idq; dignitate eâ, rebus per pacem ordinatis, statim exutus, in caussa regni, & scriptis suis, quæ complura & multijugæ eruditionis plena evulgavit, iniquior & acerbior, & vitâ quàm stylo temperatior creditus.

Huic comes addetur *Suffridus Petreius* Leovardiæ in Frisia natus, qui cum Lovanii in pueritia literis Græcis naviter operam dedisset, veterum Græcorum scriptis in Latinum vertendis animum applicuit, & postea à Frisiæ ordinibus invitatus, origines, colonias, nobilitatem, libertatem, jura gentis suæ illustranda suscepit, in quibus altiùs repetendis dum admistis fabularum figmentis nimiùm stylo indulget, multorum reprehensiones incurrit, ut Uboni Emmio, qui eandem provinciam summâ fide ac admirandâ simplicitate postea exe-

cutus est, potius lampada tradidisse, quàm ei in scribenda historia patria præluxisse videatur. Gliscentibus demùm Belgicis tumultibus, homo tranquillitatis amans Coloniam Ubiorum concessit, ubi uxore elatâ, ac vitæ instituto mutato, sacris initiatus est, & in eo otio tandem fere septuagenarius mense Februario ex hydrope decessit, à conterraneo suo Vibrando Auskema I. C. ultimo elogio decoratus.

Quinquennio senior eo *Gabriel Palæotus*, patriâ Bononiensis, VItili proximo ad vitæ æternæ præmia migravit, juris Civilis scientiâ, ac Theologicis studiis, vitæ sanctimoniâ, morum gravitate insignis; ac tandem post omnes Aulæ Rom. honores inoffensâ famâ decursos, in Collegium Cardinalium à Pio IV cooptatus, & post Sixti V mortem, paullùm abfuit, supremum sacri ordinis magistratum consecutus; scriptis etiam in illa fortuna editis ad posteritatem egregium nomen promeritus.

Paullò post ibidem Romæ haut multo

quinqua-

quinquagenario major exeunte VIII bri cælebs deceſſit *Aldus Manuccius* (ſic enim repetitâ ad Florentinam familiam gentis ſuæ origine poſtea dici maluit) Paulli F. Aldi N. Aldi Rom. abnepos, cujus majores tantum rei literariæ contulerunt, quantum ſuperiorum temporum barbaries illi abſtulerat; ipſe Bononiæ literas humaniores magnâ frequentiâ profeſſus eſt, & editis tam propriis quàm paternis ad omnem ęternitatem victutis monumentis, longè maximam ab omnibus gratiam meruit.

Anto eos Romæ ibidem obiit VIII Eid. Febr. cum ætatis annum LXVII ageret, *Franciſcus Patricius*, Cliſſæ in Iſtriæ finibus ditionis Venetæ oppido natus, & ut ajebat, Senis oriundus, qui literis Gręcis & Latinis egregiè inſtructus ad Philoſophiæ ſtudia animum applicuit. Sed dum ex ingenio ſuo natas & à communi plerumque ſenſu abhorrentes ſententias in ſcriptoribus interpretandis conſectatur, à pleriſque reprehenſus, & in Peripateticis diſcuſſioni-

bus, ac novâ de universis Philosophiâ, cum adhuc Ferrariæ esset, ante sexennium editâ, complures adversarios habuit; & novam Philosophiam quidem censurâ notatam paullò ante mortem retractavit. Ferrariæ totos XVII annos Philosophiam Platonicam docuit, Alfonso II perquam familiaris, & à Clemente VIII, qui ejus operâ olim usus fuerat, cum primùm Pontifex renunciatus est, magno stipendio Romam evocatus, Parallela militaria statim publicavit, multáque alia præterea scripsit, quæ in amicorum scriniis inedita jacent.

Huic comes addetur *Franc. Raphelengius* Lanoii ditionis Insulanæ in Pleumosiis oppido natus, postea Christophori Plantini gener, qui in Typographica cum egregiam sub socero operam diu navasset, relictâ Antuerpiâ, Lugdunum Batavorum concessit, & linguarum Orientalium vel teste Scaligero valdè peritus, etiam Arabicam publicè magnâ cum laude professus est, de qua Lexicon postumum ab eo dum viveret, summâ curâ & labore compositum prodiit,

prodiit; & tandem non ita senex, vix e-
nim annum LVIII excesserat, ad alteram
vitam migravit XII Kalend. VIII.

Ultimus referetur *Hier. Commelinus* aliàs
Santandræanus dictus, natione Gallus, qui
translato è patria Genevam primùm, dein
Heidelbergam domicilio, rem literariam
multùm juvit, editis tum veterum Græco-
rum plurimis nunquam antea editis monu-
mentis, tum Athanasio inprimis, & B. Io.
Chrysostomi magnâ operum parte, in qui-
bus & propriâ industriâ multum contulit,
& immaturâ morte hoc anno exeunte no-
bis ereptus, filiis tandem curam quasi hæ-
reditario jure demandavit.

CIↃ IↃ XCVIII.

UT viri litteris clari memorentur, *Be-
nedictus Arias Montanus* linguæ sanctę
apprimè peritus ac summè pius, Bibliis
Complutensibus elegantiore formâ recu-

 dendis

dendis à Philippo destinatus, egregiam admodùm operam in eorum editione cum Fabritiis Boderianis fratribus Falezianis Antuerpiæ navavit, unde sibi æmulos tanto odio accendit, & in iis Leonem Castrensem, qui de LXX interpretibus commentarium scripsit, ut ad caussam dicendam citatus Romam, vix veniâ impetratâ, pro tantorum laborum pręmio secessum in Bætica sua, in quo se bonâ conscientiâ fretus sacrorum librorum lectione ac lucubratione solaretur, acceperit, ubi & hoc anno decessit, ætatis LXXI Hispali proximæ ad S. Iacobi, cujus collegii ipse sodalis erat, sepultus.

Huic ut amicitiâ, sic fato conjunctus fuit *Abrahamus Ortelius* Antuerpia nobilissimo orbis aliquando emporio natus, qui rei Geographicæ ab ineunte ætate studiosus maximè eam partem nulli labori aut sumptui parcens illustravit; neque ob id peregrinationes longinquas suscipere, ac multoties totâ vitâ repetere recusavit, edito pulcherrimo orbis terrarum Theatro, & renovatâ

vatâ antiquorum locorum per Tabulas propriâ induſtriâ eleganter depictas memoriâ, Synonymorumque ingenti opere edito, ac tandem ſeptuagenario major in patria cælebs deceſſit IV Kalend. Vtil. ad B. Michaelis monumento inſigni ſepultus.

Paullò poſt *Ioachimus Camerarius* Ioachimi à nobis ſemper honorificè appellati F. cum patris ſcriptis colligendis & edendis, & arte ſuâ & conſilio non ſolùm principes viros, ſed & amicos & probitatis ac eruditionis nomine ſibi commendatos pleroſque totâ vitâ demeruiſſet, Norimbergæ, quò familiam tranſtulerat, annos LXIV natus IV Eid. VIIIbris obiit.

Nec ſilentio prætereundus *Dominicus Lampſonius*, qui in pictura & Poëtica ſe pari fælicitate exercuit, & ut vicem Lamberto Lombardo præſtantiſſimo pictori, quo magiſtro in eâ arte uſus erat, redderet, ejus vitam accuratiſſimè deſcripſit, ob idq; Erneſto Bajoaro Leodicenſium Epiſcopo & poſtea Colonienſi VIIviro chariſſimus, demum ſenex Leodicum conceſſit, eaque

in urbe placidè ad Deum hoc anno migravit.

Majore præconio dicendus *Henricus Stephanus* Roberti, cui tantum res litteraria debet, F. Lutetiæ Parisiorum natus, qui patris æmulatione cum scriptorbus Græcis edendis & castigandis sedulam operam navasset, tandem & penum amplissimam linguæ Græcæ dedit, de sua posteraque ætate ob id optimè meritus. Postea variis peregrinationibus diu in Germania vagus, cum patriam oblivisci non posset, Lugdunum se contulit, & hoc anno fere septuagenarius ineunte Martio vitæ & tot exantlatis pro Republica literaria laboribus finem fecit.

CIↃ IↃ XCIX.

HOc anno Februarius morte virorum literis illustrium funestus fuit; nam XIII Kalend. Martii *Paulus Paruta* patricius

cius Venetus, cum in Hiſpaniam, ut apud Philippum novum Regem in parentis morte & ipſius ad regnum inauguratione ſolemni officio defungeretur, legatus à Senatu ordinatus eſſet, ad meliorem vitam tranſiit, anno ætatis LVIII, vir rarâ in explicandis negotiis ſollertiâ & eloquentiâ, quas virtutes variis legationibus in Italia ac præcipuè apud Clementem VIII, cum Ferrariam venit, & Margaritam Auſtriam, cum ad virum deduceretur, exercuit, & ſcriptis, quæ magno in pretio inter prudentiæ civilis ſectatores meritò habentur, conſignavit; teſtantur hoc de perfectione Politicâ libri & commentarii Politici vernaculo ſermone exarati, quos Soliloquio pietatem & veram animi magnitudinem ſpirante clauſit, & de bello Cyprio hiſtoriâ, quâ meruit ut ipſi patriæ hiſtoriæ ſcribendæ cura à repub. demandaretur.

Triduo ante in eâdem urbe anno ætatis LIX *Joſephus Zarlinus* Clodienſis, Muſicæ artis ſcientiâ, quam doctiſſimis illuſtravit commentariis, clariſſimus, fatis

concessit, ad D. Laurentii sepultus.

Eodem die & ætatis anno *Alfonsus Ciaconus*, professione Dominicanus, Iaëne in Bætica Hispaniæ, quam Oningin apud Livium & Plinium fuisse putat Ambrosius Morales, natus, rei antiquariæ peritissimus, & secundum Petrum Ciaconum Toletanum cognominem potius quàm gentilem suum, suæ Hispaniæ magnum lumen, post edita pleraque ingenii sui monumenta, Romæ, ubi jam pridem domicilium fixerat, ad meliorem vitam migravit, & ad D. Sabinæ honorificè tumulatus est.

Octavo post die dignitate major, nec doctrinâ inferior, *Garsias Louisa* in Sacræ Historiæ veritate indagandâ admodùm diligens, & Conciliorum Hispaniæ collectione editâ magnam inter suos laudem consecutus, & ut pueritiæ Philippi III erudiendæ apponeretur ob id promeritus, cum ante annum Archiepiscopus Toletanus post renunciatam ab Alberto Archiduce dignitatem creatus esset, Compluti ex mœrore animi, ut creditum fuit, quòd post

cumulatos

cumulatos à Philippo II honores indignam à ſuis ſub novo principe gratiam rependi videret, vir omnis injuriæ impatiens defecit LXV ætatis anno.

Ultimus dicetur *Ioannes Levineius* Gandenſis Clarâ Levini Torrentii digniſsimi Antuerpiæ Epiſcopi ſorore natus, qui veſtigiis avunculi inſiſtens, rem literariam non mediocriter diligentiâ ſuâ adjuvit, & cum in Plantiniana Bibliorum editione Græca cum Guil. Cantero ſedulam operam navaſſet, poſtea ſuam induſtriam Gul. Sirleto & Antonio Carafæ Cardinalibus eodem opere Romæ adprobavit. Multa prætetea Patrum Græcorum Latina fecit, & dum Gregorium Nyſſenum Græcè integrum publico dare meditatur, haut quinquagenario major ad Deum migravit eid. Ian. juxta Torrentii avunculi corpus in majore urbis baſilica conditus.

CIↃ IↃC.

F*Vlvius Vrſinus* patriâ Romanus, vir Græcè Latinèque doctiſsimus, ac purioris antiquitatis indagator diligentiſsimus, qui complura veterum utriuſque linguæ ſcriptorum monumenta aut primus edidit, aut edita dedit meliora, artâ cum Octaviano Pantagatho, Gabriele Faërno, Latino Latinio, Paulo Manutio ſtudiorum conſenſione conjunctus, ac præcipuè cum Antonio Auguſtino, quandiu Romæ fuit, cujus poſtquam in Hiſpaniam diſceſſit, plurimas lucubrationes ſuâ induſtriâ illuſtratas publicavit, in familia Alexandri Farneſii Cardinalis eximii litteratorum fautoris diu vixit, & ſeptuagenarius ineunte Maio obiit, ad D. Ioannis Lateranenſis, cujus ſacri Collegii erat ſodalis, ſepultus.

Paullò poſt *Antonius Ricobonus* Rhodigino

gino Venetæ ditionis oppido natus, Patavii diu humanarum litterarum & Rhetoricæ præcipuè professor, qui multa in eo genere scripsit, & Patavini gymnasii historiâ diligenter collectâ non mediocrem à sui Collegii sodalibus gratiam meruit, ex calculo ingenti in vesica enato in eâdem urbe, ubi profitebatur, decessit.

Eos præcessit *Conradus Dasypodius* patre Helvetio natus, nobilis artium Mathematicarum professor, quas editis Græcis plerisque nondum vulgatis auctoribus illustravit; cumque integrum harum præclarissimarum disciplinarum ac omnibus suis partibus absolutum ex priscis illis scriptoribus Græcis corpus publicare meditaretur, Argentinæ, ubi natus erat, Eid. April. anno ætatis LXVIII in vivis esse desiit.

Carolus Vtenhovius Gandavi patritiâ familiâ natus, & totâ fere vitâ vagus, sed in litteris & Poëticâ constans, cum olim in familia viri illustris Paulli Foxii, dum oratoris regii apud Elizabetham Angliæ Reginam munere fungeretur, diu fuisset, po-

ſtremò uxore ductâ Coloniæ in Ubiis ſedem fixit; in Dionyſiaca Nonni, in quibus multum laboravit, quæ habebat aut pertæſus operis, aut ab aliis præventus, cum magnam de iis ſpem concitaſſet, non abſolvit; tandem Kalend. VIrilib. vitam hoc anno finivit, ætatis LXIV.

Ante eum menſe Maio apud nos *Petrus Faber* Vidi Pibracii à nobis ſæpius honorifice commemorati gentilis, qui ad clarum familiæ in Novempopulonia decus probiſſimos mores & ſingularem antiquitatis omniſque divini & humani juris cognitionem attulit, & doctiſſimis ſcriptis præceptoris ſui Iacobi Cujacii veſtigiis inſiſtens teſtatam ad poſteritatem fecit, poſtquam ampliſsimis togæ honoribus defunctus eſt, & Principem in Senatu Toloſanò locum poſtremò totum triennium tenuit, ſexagenario major ad Deum migravit.

Litteris,

CIↃ IↃ'C I.

LItteris, & in litteratos præcipuo amore ac ſtudio, prudentiâ & humanitate clariſsimus, Nonis VIlilib. Patavii ubi ante XLI annos otii honeſtiſsimi ſedem poſuerat, *Ioannes Vincentius Pinellus* origine Genuenſis, Neapoli natus, optimè meritam non ſolùm de Italia ſua, ſed de toto orbe Chriſtiano animam Deo reddidit, cum ætatis annum LXVIII ageret, in cujus laudibus commemorandis, quas alii ſingularibus libris fuſiùs pro merito explicaturi ſunt, ne nimius ſim, nunc Tito Pomponio ipſum comparaſſe ſatis habebo, quippe qui Veneti, ut ille Attici, à sereniſsima Republica, quæ ipſum impensè dilexit, nomen promeritus, & in privata vita prænobilis familiæ decus ſervans, amicis cuncta humanitatis officia ſedulò ac prolixè præſtaret, alioſq; quamplurimos,

plurimos, quos mutuâ virtutis opinione in Gallia, Germania, Hiſpania, ac longinquioribus Europæ partibus ſibi conciliaverat, diligenti literarum mutitatione coleret, ut non ſolùm iis, qui cottidiano convictu fruebantur, gratiſsimus, ſed etiam aliis paſsim quamplurimis utiliſsimus eſſet. Bibliotheca ejus inſignis tot annorum ſpatio & ſollerti curâ collecta variam fortunam poſt ejus obitum ſortita eſt, & cum hærede conflictata, quod amplius ex Paulo Gualdo Vicentino, qui ejus vitam certè dignam quæ ab omnibus legatur, deſcripſit, Lector poterit cognoſcere.

Poſt Pinellum commemorandus venit *Tycho Brahe* eques Danus aſtrorum verâ ſcientiâ & obſervationibus longo tempore in ſua Uranopoli & magno ſumptu factis, omnium concordibus ſuffragiis principis Aſtronomorum nomen promeritus, qui Cherſoneſo Cimbrica relicta, cum in Germaniam proximam ſe recepiſſet, in aula Rodolfi Cæſaris aliquandiu floruit; cum Wilielmo Heſſo, qui & in eadem ſcientia excelle-

excellebat, artâ ſtudiorum neceſſitudine conjunctus, & Pragæ hoc anno IX Kal. IXbris deceſſit, cum vitæ annos LIV, menſes IX, dies XIX tantùm exegiſſet, vir & ſcriptis à ſe editis ſecundum Ptolomæum, Ioannem Regiomontanum, & Nicolaum Copernicum inprimis clarus, & poſtea à Iacobo Keplero, cui præclaras ingenii ſui reliquias, ne perirent, quaſi teſtamento legavit, publicatis illuſtrior.

Huic addemus *Richardum Streinium* in Auſtria liberum Baronem, antiquitatum Romanarum, quas & ſcriptis illuſtravit, cognitione præſtantem. Is unam & alteram pro Ordinum Belgicorum libertate defenſionem, ſed ſuppreſſo nomine, veritus Auſtriacorum Principum, quibus ſubeſt, offenſionem, publicavit, & poſtremò in Theologicis ſtylum exercuit, & ad Robertum Bellarminum admonitionem expreſſo nomine ſcripſit, atque hoc anno in patria in vivis eſſe deſiit.

His & accenſebitur *Ioannes Heurnius* perhoneſtâ familiâ è Belgio oriundâ Ul-

trajecti natus, qui cum ad Medicę artis ſtudia animum appuliſſet, ejuſque in patria fundamenta jeciſſet, Lutetiam venit, & Ludovico Dureto regio in ea ſcientia profeſſori eximio operam navavit, tanti præceptoris non ingratus diſcipulus, & doctrinæ ejus ſummus præco; dein Patavium profectus, ac poſtremò Ticinum, utrobiq; magnos in ea ſcientia præcipue ſub Capivacio & Mercuriali progreſſus fecit, & in patriam reverſus, erectâ Lugduni Batavorum anno CIↃ IↃ LXXXI Academiâ, ad medicam profeſſionem cum Remberto Dodonæo Mechlinienſi honorificè à curatoribus evocatus, in ſtudiis aſſiduus conſenuit, editis pleriſque ſcriptis; cumque proſperâ ſemper antea valetudine uſus eſſet, calculo laborare cœpit, cujus cruciatibus totum triennium divexatus, tandem III Eid. VItil. anno ætatis LVIII, die natali ſuo obiit; in mortui veſica reperti ſeptem calculi nucis juglandis majoris magnitudine, & formâ, ſinguli drachmas duas pendentes, miſera ad libros aſſiduè ſedendentium ſtipendia.

Meruit

Meruit & *David Chytræus* qui tot virûm, quantum in ipſo fuit, memoriam ab oblivione aſſeruit, ne ipſe indictus relinquatur, qui in Suevia, Braënheikemæ Vitembergenſis principatus oppido natus, Tubingæ & Heidelbergæ Studiorum tyrocinia fecit, & à Megalopolenſibus ducibus evocatus, diu Roſtochii profeſſus eſt, ac tandem ſeptuagenario major hoc anno III Non. Vtil. placidè ex hac vita migravit.

CIↃ IↃ CII.

HOc anno Aprili menſe ad meliorem vitam in patria migravit *Lazarus Superantius* patricius Venetus, cujus extat de rebus Turcicis magni judicii ac prudentiæ commentarius.

Et eodem fere tempore itidem Venetiis deceſsit *Maximus Margunius* Cytherenſis Epiſcopus, natione Græcus, qui S. Patrum

aliquot reliquias è communi naufragio vix ſervatas & ſecum aſportatas publico dedit, & ſua quædam eleganti ſtylo, nam Poëticâ excellebat, admiſcuit.

In Germania *Paullus Meliſſus Schedius* Mellerſtadii in Franconia natus, qui ingenium Poëticâ, ætatem peregrinationibus exercuit, & poſtremò Heidelbergæ, ubi Bibliothecarii officio fungebatur, anno climacterico ſuo deceſsit XV Kalend. Mart.

Martinus Rulandus Friſingenſis Cæſareus Medicus, ſcriptis editis clarus, Pragæ IX Kalend. Maias ex hac vita demigravit, Hungarico, de quo nuper ſcripſerat, morbo correptus.

Eâdem profeſsione & Mathematicarum præterea ſcientiarum cognitione clarus eum paullò poſt ſecutus eſt *Gaſpar Peucerus* Budiſsinæ natus, Philippi Melanchthonis gener longâ vitâ & ſcriptis ac fortunâ clarior; nam LXXVIII annos vixit, & poſt Carrionis chronologicam epitomen completam, & de divinationibus opus recognitum

cognitum, decennali carcere ab Auguſto
Laxone VIIviro vexatus, vixque ſub Chri-
ſtiano filio libertati reſtitutus, publicato
de eâ re libro, Deſſaviæ ultimum vitæ va-
riis moleſtiis jactatæ diem VIIbri menſe
clauſit.

Menſe proximo *Franciſcus Iunius* in Bi-
turigibus Cubis apud nos natus, itidem o-
biit Lugduni Batavorum peſte abſum-
ptus, cum tantum annum LVII attigiſſet,
vir deſultorio ingenio, qui multa cona-
tus, an adſecutus ſit quod moliebatur,
doctorum erit judicium.

Utimus commemorabitur ex noſtris
Ioannes Paſſeratius Auguſtæ Tricaſſium na-
tus, Latinæ linguæ Profeſſor digniſſimus,
qui fælicitate verſus pangendi, etiam Galli-
cos, & ſolutâ oratione ſcribendi ac bonos
ſcriptores interpretandi diu magnam lau-
dem in Pariſienſi Academia meruit. Ho-
mo emunctæ naris, & cui aliena vix pla-
cerent, ultimo elogio vovit, ne manes ſui
malis carminibus onerarentur; itaque pau-
ci mortuum laudarunt, dum verentur, ne

voto ejus minùs respondeant; obiit mense VIIbr. senio effœtus, amissâ oculorum luce, & jam fatiscence ingenio, cum vel vitæ cupidissimi vivere velle desinunt.

CIↃ IↃ CIII.

NEc omittendi sunt viri litteris clari, & in iis *Iac. Monavius* Uratislaviensis patricius, & doctrinâ propriâ atque humanitate, & Iusti Lipsii commendatione clarus, qui diem ultimum vitæ clausit in patria, cum LVI ætatis annum ageret.

Quem secutus est *Andreas Cæsalpinus* præstantissimus Peripateticus, qui cum diu Pisis docuisset, & scriptis famam nominis propagasset, â Clemente VIII evocatus, archiatros ejus fuit, & Romæ decessit.

Initio anni VII Kalend. Mart Lutetiæ Parisiorum anno climacterico suo ad Deum migravit *Franc. Vieta* Fontenaio in inferiore

inferiore Pictonum provinciâ natus, vir ingeniosâ & profundâ meditatione, cujus vi nihil illi inaccessum in abstrusioribus scientiis, nihil quod acumine mentis posset confici, difficile confectu fuit. In Mathematicis præcipuè industriam inter alias occupationes & negotia, à quibus capax & indefatigabile ejus ingenium nunquam vacavit, totâ vitâ exercuit, in quibus adeo excelluit, ut quicquid ab antiquis in eo genere inventum, & scriptis, quæ temporis injuriâ aut perierunt aut obsoluerunt, proditum memoratur, ipse assiduâ cogitatione invenerit & renovarit, & multa ex suo ad illorum ingeniosa reperta addiderit. Tam profundâ autem meditatione fuit, ut sæpius visus sit totum triduum continuum in cogitatione defixus ad mensam lucubratoriam sedere, sine cibo & somno, nisi quem cubito innixus, nec se loco movens ad refocillandam per intervalla naturam, capiebat. Scripta ejus rara, neque tamen pauca, quòd ea sumptu suo cudenda curaret, & exemplaria penes se retineret,

ret, quæ amicis homo longè ab omni avaritia positus, & harum rerum peritis liberaliter distribuebat. Multa & adfecta reliquit, quibus præclaras has artes, repetitâ veterum memoriâ, summo studio instauravit, quæ Petri Alealmi Aurelianensis, cujus industriâ à se, dum in vivis ageret, excultâ utebatur, fidei ab hæredibus commissa sunt, ex eoque thesauro postea tam ab ipso, quàm Alexandro Andertono Scoto & aliis multa deprompta sunt, & in lucem edita, quæ admirationem in animis harum rerum peritorum majorem indies excitant, & immortalem ejus gloriam intermori minimè patiuntur. Hadrianus Romanus, cum problema omnibus totius orbis Mathematicis construendum proposuisset, Vieta illud continuò solvit, & cum castigationibus & auctario & Apollonio præterea Gallo ad Romanum remisit, tantâ cum Romani admiratione ut confestim ille iter in Galliam corripuerit, ut hominem sibi antea ignotum conveniret, & postea arctam cum eo amicitiam

coleret.

coleret. Cum Romanus Herbipoli, ubi relicto Lovanio domicilium fixerat, Lutetiam venit, Vieta aberat, ad suos Pictones profectus, ut valetudinem jam infirmam curaret. Quâ re cognitâ, quamvis adhuc C Leucarum nostratium iter restaret, Romanus obfirmato semel animo in viam se dedit, & ad Vietam priùs per literas monitum contendit, cum quo totum mensem fuit, & de quæstionibus, quibus ad eum instructus venerat, per otium egit, & majora omnia spe in homine minimè fucato cum stupore admiratus est, eandemque post amplexus & ægrè vale dictum pro tam honorificâ ad se profectione Vieta hospitem reducendum ad limitem curavit, et sumptus in eam rem necessarios suppeditavit. Tanti autem conatus in Apollonio factus est, ut Vietæ æmulatione Marinus Gerardus Racusinus præstantissimus Mathematicus anno VII post Apollonium redivivum ediderit, unà cum supplemento Apollonii Galli. Doluit mihi valdè quòd tam stomachosè cum eo alter-

catus fuerit initio Scaliger, cum de cyclometricis inter ipsos ageretur; sed vir generosus hunc Vietam ignorabat, & ægrè propterea ab illo reprehendi ferebat, cum nondum satis perpendisset an citra paralogismum quod probandum susceperat demonstrasset; itaque postea honorificâ recantatione seipsum castigavit, & in arcano præcipuam erga Vietam ab eo tempore reverentiam servavit. Paullò antequam moreretur Vieta, in Kalendario Liliano defectus magnos ab aliis jam notatos cum animadvertisset, de forma quæ in Ecclesia Romana recipi posset, seriò cogitare cœpit, & Kalendarium novum, quod verè Gregorianum appellabat, construxit, ad Ecclesiastica festa & ritus accommodatum, quod typis mandatum cum relatione de ejus ratione ad Ecclesiasticos doctores anno CIↃ IↃ C Cardinali Aldobrandino Lugduni obtulit, cum ille de pace cum Sabaudo acturus, à Pontifice ad Regem venisset, sed nullo successu, sicuti proficiscentem, cùm mihi consilii sui rationem expo-

exposuisset, amicè monueram; quippe qui animo providerem emendationem apud Principes Christianos adfectatione tantâ insinuatam, & per prensationes postremò receptam non facilè vel in melius mutaturos eos, qui ulla in re errasse aut errare posse ne fateantur, pro imperii arcano ducunt. Sane cum Aldobrandinus post pacem factam Romam revertisset, & Christophorus Clavius, qui pro Lidio tot editis jam scriptis anticipatâ opinione propositam emendationem protinus rejecisset, gravem ad eum expostulationem misit Vieta, nec si diutius superfuisset, eo stetisset contentio, nec qui mortuo barbam vellere non dubitarunt, eo superstite, si ausi essent, non vapulassent. Ita autem de Clavio sentiebat Vieta, antequam ob illam contentionem contra eum exacerbari potuisset, optimum eum esse Mathematicorum Elementorum interpretem, & eximiâ facilitate, quæ ab inventoribus obscuriùs in quavis eorum parte tradita sunt, explicare; cæterùm quantum ad scientiam,

ita scribere, ut scribendo quæ scribit primùm discere videatur, nihilque de suo ingenio addat, sed excribat omnia, suppressis ferè eorum à quibus proficit nominibus, nullo operæ præterea pretio, nisi quòd sparsim, confusè, & minùs dilucidè ab aliis scripta ipse colligit, ordinat, & ita perspicuè proponit, ut ex alienis propria efficiat. Leve est quod dicam, vel ipso judice Vietâ, quod tamen quivis alius magni fecerit. Res Hispanorũ longè latéq; sparsę ut cõmunicatione & consiliorũ consensione conjungantur, secreto egent, ad quod illi vastam & longiùs plerumq; justo respicientem prudentiam adhibent, literis exsoleto & incognito charactere exaratis uti solent, brevioribus ad singulos, ad universos amplioribus, & ordinem & characterem subinde per otium interpolant, vertunt, mutant, ne tempore secretum emanet. Sed cum hoc faciunt, longo temporis spatio opus habent, quò præfectos longè ad Indias positos moneant. Tale erat illud notis amplius IↃ compositum instrumentum,

ſtrumentum, quo per bella infeſti adeo decennij contra nos utebantur, quo tempore pleræque eorum interceptæ litteræ valde prolixæ, quibus conſiliorum ſuorum rationes explicantur, quibus ij, qui vulgo his in rebus induſtriam ſuam exercent, ob notarum tantam multitudinem expedire ſe minimè poterant. Itaque ad Vietam Regis juſſu miſſi nihil tale cogitantem, & qui ſatius habuiſſet aliâ quâvis in re ingenium ſuum fatigare; qui familiari ſibi in ſtudiis gravioribus meditatione illud totum expiſcatus, & pleraſque deinceps alias maximi momenti, reperto ſemel arcano, nullo negotio interpretatus eſt. Quod res Hiſpanas totum biennium valdè conturbavit, qui, re per noſtras viciſſim interceptas detectâ, neceſſitatem inſtrumenti, quod inexplicabile rebantur, mutandi impoſitam dolebant. Itaque illi qui ad odium & invidiam nihil non comminiſcuntur Magicis artibus, nam aliter fieri non potuiſſe, à Rege id factum paſſim & Romæ præcipuè, non ſine riſu &

indignatione rectiùs ſentientium, per emiſſarios ſuos publicabant.

His ſenior, & quia voluit obſcurior *Vidus Coquillius Romanius* Novioduno Æduorum, quod nunc Nivernium dicitur, & illuſtriſſimorum Clivenſium ſeu Gonzagarum principatûs caput eſt & civitas Epiſcopalis, natus, poſt obitum illuſtrior, ſcriptis ejus publicatis, quæ vivus preſſerat, nunc vel invitus in hominum memoriam retrahendus eſt. Lutetiæ primùm litteris humanioribus, dein Iuri utrique operam dedit, & in foro Pariſienſi aliquandiù verſatus, Patavium petiit, ut ſe Mariano Socino juniori, cujus tunc nomen erat celebre, recoquendum daret; inde patriam repetiit, nunquam inde migrare certus, & æquitatis ac doctrinæ laude inter ſuos clarus, conſulentib. facilem ad ſe aditum præbebat, à ſordibus alienus, & erga tenues munis; nec in litteris interea ceſſabat, nam jus conſuetudinarium, cujus cognitione præcipuè excellebat, dum jus municipale proprium interpretatur,

pretatur, maximè illustravit, & Historiam præterea patriam magnâ fide ac diligentiâ scripsit; item accuratissimas de Gallicanæ Ecclesiæ juribus, quæ nunc ubique exagitantur, observationes collegerat, quæ plagio perierunt: dum domi lateret, à popularibus tribus ordinum regni conventibus. in lucem productus est, iisque magnam ab omnibus gratiam reportavit; à Principib. suis generali provinciæ procuratione decoratus fuit,& in eâ mense Maio major octogenario vir de sua ætate & posteritate optimè meritus decessit.

CIↃ IↃ CIV.

HIs litteris illustres addentur, & ante omnes *Ianus Duza* Norduvicus nobilissimâ Bataviæ familiâ ortus, qui cum Liræ primùm, dein Delphis, ac postea Lovanij & Duaci prima litterarum fecisset stipendia, in patriam reversus, in

Lugduni

Lugduni Batavorum, cui ab Arausionensi præfectus fuerat, obsidione sustinendâ egregiam operam navavit, & Musis cum Marte optimè convenire suo exemplo docuit; etiam post pacem Bataviæ redditam, & foris bellum emissum, Academiæ in servata urbe condendæ ab initio auctor, postea conditæ totos XXIX annos curator, mox in Curiæ Senatum cooptatus, tredecim annos in eo munere complevit, & anno LIX in vivis esse desiit. Poëticâ præcipue delectabatur, in qua ingenium varij generis carminibus editis exercuit; etiam patriæ Annaleis scripsit, multiplici lectione, & admirabili memoriâ promeritus ut Bataviæ Varro, & Academiæ commune oraculum vulgò vocaretur. Mortuum laudavit carmine insigni Iosephus Scaliger, sicuti & cognominem filium naturæ ordine turbato ante elatum tanto parente dignissimum laudaverat.

Sub id & *Christophorus Colerus* in Franconia natus, qui in litteraturæ politioris studiis magnam de se spem excitaverat, ante

ante annos in Auſtria obiit; quem *Iacobus Typotius* paullò poſt ſecutus eſt, homo Belga, qui in negotiis tractandis ſollertiam affectavit, & in aula Suecica diu fuit, Carolo Sudermaniæ Duci, ac tandem Regi cum Sigiſmundo Poloniæ Rege nepote tunc diſſidenti percarus; de quo & relationem ad Gulielmum à S. Clemente, qui Regis Hiſpaniarum res apud Cæſarem procurabat, pari candore ac prudentiâ ſcripſit, & præterea alia quæ ejus ingenium ad majora natum produnt; ſed non diu ſupervixit, & hoc anno fatis Pragæ, non ita provectâ ætate, conceſſit.

Eâdem in urbe *Obertus* quoque *Gifanius* Buræ in Sicambris natus VI Kal. Vtil. ſeptuagenario major ultimum vitæ diem clauſit. Is prima litterarum rudimenta in Belgio ſuo, atque adeo Lovanij cum imbibiſſet, induſtriam ſuam primùm in T. Lucretio exercuit, quem poſt Michaelem Marullum Byzantium, qui tantum auctorem miſere interploraverat, & ſecundum

Dionysium Lambinum nostratem, qui in eo laudabilem operam navavit, nobis meliorem dedit; dein totum se Iuris scientiæ ac Philosophiæ studiis mancipavit, denique Argentinæ jus civile professus est, tanto cum plausu, ut inde magnis stipendiis invitatus, in aulam Cæsaream migraverit, & qui in adolescentiæ æstu Protestantium doctrinæ tunc per Belgium invalescenti nomen dederat, senex ad majorum sacra rediit: & Consiliarij Cæsarei titulo ornatus voce & scriptis rem litterariam multùm promovit.

Nunc viri à tutelari patrię numine, hoc est, à Mercuriali quodam urbis Episcopo, cujus festum celebratur X Kal. Iun. cognominati memoriam celebrabimus. Is fuit *Hieronymus Mercurialis* Foro Livij in Umbria natus, anno *CIↃ IↃ XXX* antiquâ utrinque familiâ, nec modicis opibus; Patavij cum tirocinium in Philosophię & Medicinę studiis fœliciter fecisset, â civibus suis admodùm iuvenis ad Pium IV legatus missus est, & ex ea occasione in

in familiam Alexandri Farnesij Cardinalis litteratorum fautoris eximij concessit, in qua totum septennium mansit, in illoque otio primum ingenij sui fœtum dedit Gymnasticam. Inde Patavium ad Medicam professionem vocatus, jam famâ ejus inclarescente, à Maximiliano Cæsare, cùm gravissimo morbo laboraret, in aulam evocatus est, à quo persanato multa honorifica munera accepit, & Patavium sub annum LXXIII repetiit. Ibi XVIII annos Medicinam fecit & docuit. Bononiæ postea aucto stipendio per quinquennium, & postremò Pisis XIV annis ad *CIↃ IↃCC* usque aureos honorario excurrente idem munus exercuit, & cum frustra à multis Principibus evocatus esset, otium litterarium vitæ aulicæ semper prętulit; tandem ingravescente ætate, patriam repetiit, ubi qui semper valetudine prosperâ usus fuerat, calculi morbo per XXX dies acerbè vexatus, vitam de Repub. optimè meritam cum morte commutavit V Eid. IXbr. ad D. Mercurialis

in odéo à se magnificentissimè extructo sepultus, quò & paullò ante V Kal. IXbr. D. Mercurialis reliquias transferri curaverat. Fuit egregiâ corporis formâ, & sanctissimis suavissimisque moribus, adhæc doctrinâ præstanti, quod multa ejus scripta testantur, â discipulis ferè publicata, ut si quid in iis peccatum esset, ea citra famæ & existimationis jacturam emendandi summâ prudentiâ ac modestiâ libertatem sibi servaret. Quædam & in Hippocratem non omnino edita, & in Aristotelis problemata reliquit.

Ultimus memorabitur *Arnoldus Offatus* nulli horum posthabendus, jam multoties à nobis perhonorificè appellatus, ut minimè emortualem diem expectari oportuerit, ut memoria ejus celebraretur, sicut in plerisque aliis evenit, qui nullam alioqui partem in historia faciunt; eóque licet pauciora de tanto viro dicenda occurrant, justa tamen vel amicitiæ ergò, quæ mihi artissima cum eo intercessit, cum aliquâ grati animi testatione persolvenda

sunt.

ſunt. Is in Novempopulonia noſtra pago juxta Auguſtam Auſciorum ignobili ortus, obſcuris adeo natalibus ut cognatos & adfineis prorſus ignoraret, & pauperes ac domeſticos, nullos præterea, hæredes habuerit; ſed donis ingenij, doctrinâ, pietate, morum probitate, & inſitâ prudentiâ à Deo largiſſimè cumulatus, facilè natalium defectum tantâ acceſſione ſupplevit, ut Romæ in ampliſsimo orbis theatro cæteros omnes natalium ſplendore & aliis fortunæ præſidiis illuſtreis æquaverit, pleroſque ſuperaverit, æquabili irreprehenſibilis vitæ tenore omnium amorem & admirationem promeritus, ſicque in illa Aula totis XXXI annis ſe geſsit, ut nemini bene ſentienti dubium reliquerit, quin ſi peccati originalis, quod vulgo vocant, fomes non obſtitiſſet, quâ moderatione maximos honores in eâ citra ambitionem decurrerat, eodem in ſtudio pergens ad ſummum Eccleſiaſticæ poteſtatis faſtigium inoffenſo pede vaderet. Vixit annos LXVII, menſes VI, dies XX, ad B. Ludovici ſepultus.

CIↃ IↃCV.

VIri & litteris clari & longâ vitâ memorabiles, quod in ejusmodi hominibus rarum, his adtexentur. Ante alios *Pontus Thiardæus Bissianus* dicetur, nobili familiâ in Heduis natus, qui exactâ trium linguarum cognitione, & in juvenili ætate, excultus, seculo illo, quod apud nos Poëtarum proventu abundasse Henrico II Rege diximus, in Poëticâ vernaculâ primùm lusit, dein Mathematicis artibus & Platonicæ doctrinæ se totum mancipavit, ac postremò Theologicis studiis, in quibus omnibus multa, sed ferè Gallicè scripsit, reconditæ scientiæ ubique plena. In aula etiam vixit, & Henrico III gratiosus, sicuti suo loco ostendimus; ab eo Cabilonensi Episcopatu donatus est, & paullò ante mortem octogenario major, de rectâ nominum impositione commentarium vulgavit,

gavit, & ad Phil. Iudæi libellos à ſe illuſtratos pro auctario addidit; cum in libris aſſiduus eſſet, cibo multo, quippe vaſto corpore, utebatur, & generoſâ vina, qualia illis locis circa Araxim naſcuntur, aquâ nullâ admiſtâ citra temulentiam bibebat, cumque dormitum ibat, quod mirum eſt, largo ſe meraci hauſtu ſine valetudinis diſpendio proluebat. Tandē cum XX ampliùs annos ſacro munere magnâ pietatis & doctrinæ laude defunctus, Cyrum ex fratre nepotē ſibi ſuperſtitem ſubſtituiſſet, integris animi & corporis ſenſibus ad meliorem vitam migravit, VII Eid. VIIIbr. ætatis anno octogeſimo quarto.

Theod. Beza, qui patruum in Curia Pariſienſi Senatorem habuerat, Vezeliis itidem in Heduis natus, Biſſianum ſex diebus antevertit, ingenio hilaro ac eleganti, & longâ vitâ ſatis notus, quam LX totos annos in ſtudiis & lucubrationibus exegit, eáque tantum provectus, ut antequam moreretur, veris vitæ, quæ eam deſiderabilem efficiunt, ſubſidiis præ

ſenio

ſenio deſtitueretur: ſiquidem preſentium memoriam, debilitatâ quippe mente evanidam amiſerat, præteritorum, dum ingenio valebat impreſſam ſervaverat. Itaque & totos Pſalmos Hebraicè, & quodcunque caput ex B. Paulli Epiſtolis propoſuiſſes, integrum Græcè recitabat, nec in iis, quæ olim didicerat, judicio carebat, ſed quæ dixerat ſtatim obliviſcebatur: in hoc mentis obllivioſo languore ferè biennium perſeveravit, & cum ad concionem ire vellet, ſubitâ convulſione correptus ac lecto impoſitus vitam finivit. Vixit annos LXXXVI, menſes III, dies XIX. Laudavit mortuum Antonius Fajus, & carmen elegans & adfectûs plenũ veteri amicitiâ cum eo conjunctus Scaliger fecit, addito etiam de fato urbis, in qua deceſſit, omine, quod tamen hactenus eventu caruit.

Bezâ rurſus annoſior, & ſummus Bezæ amicus *Robertus Conſtantinus* annum clauſit, Cadomo in Neuſtria inferiore natus, trium linguarum peritiſſimus, &

Græcæ præcipuè ac Latinæ, qui longam vitam in ſtudiis & peregrinationibus conſumpſit. Fuit & Iulii Cæſaris Scaligeri domeſticus, & commentaria in partem Theophraſti ab auctore non edita poſt ejus mortem publicavit, quod à plagii crimine, cujus aliquando inſimulatus fuit, eum liberat; vixit uſque ad CIIII annum, integris corporis & mentis ſenſibus, & memoriâ adhuc validâ, quæ in longævis ex omnibus animi facultatibus prima debilitatur & vacillat; & tandem pleuritide correptus exeunte hoc anno VI Kalend. Ianuar. defecit.

His macrobiis rarum longæ vitæ & connubialis concordiæ addam ex Emanuele Demetrio exemplum *Viri & fœminæ* è plebe, ideoque obſcuri nominis, quorum ille CIII annos, hæc XCIX expleverat, cum uterque LXXV in matrimonio conjunctiſſimè vixiſſent, longæ vitæ pro cumulo fælicitatis acceſſit quod Philemoni & Baucidi pro ſummo beneficio Deos conceſſiſſe narrant fabulæ, ut

alter alteri tantùm tres horas ſupervixerit, & ambo Delphis in Batavia ſimul hoc anno terræ mandati ſunt.

Poſt hos dicendus venit *Simo Marionus* Novioduno Heduorum ſive Nivernio perhoneſtâ familiâ natus, qui juris ſcientiâ ac eloquentiâ præcipuè in noſtro foro diu claruit, quod actiones aliquot forenſes ab eo editæ abundè teſtantur. Dein ad dignitates evectus, ſe ſemper iis parem præbuit, & patroni fiſci munus pari eloquentiæ & ſollertis judicii laude exercuit, jura regia, libertatem publicam, regni dignitatem ubique conſtantiſſimè tutatus. Obiit Lutetiæ III Eid. Febr. cum LXIV ætatis annum tribus menſibus exceſſiſſet, & ad S. Medici ſepultus eſt.

CIↃ IↃCVI.

NUnc viri litteris illuſtres, qui hunc annum funeſtum morte ſua fece-

runt, memorabuntur; ac primus inter eos *Sofredus Calignonus* Navarræ Cancellarius, Gratianopoli in Allobrogibus natus, ingenio, doctrinâ, rerum usu & in iis explicandis sollertiâ, ac morum suavitate cum paucis comparandus. Olim mihi à puero & in scholis arcta cum eo familiaritas fuit, quæ per bella locorum distantiis & variis casibus aliquandiu disjuncta, postremis temporibus coiit, & in edicto Namnetensi condendo, cum eo communem operam per triennium integrum navavi; quinquagesimum sextum annum aliquot mensibus supergressus fuerat, cum in lethalem morbum incidit, totâ vitâ jucundissimus, quæ subito in mærorem vertit, & gravedine primùm tentatus; cum ad meam vocem se excitasset, vocem mihi funestam statim reddidit, *non tam viris bonis vitam esse optabilem*, tristi non solùm morbi sui sed etiam rerum nostrarum in posterum augurio.

Philippus Porta Autrici Carnutum natus, ad Boni-portis cœnobium, cui Antistes

 tistes

tistes erat, haud longè ab Arcuensi ponte ad Sequanam prid. Non. VIIIbris ad Deum migravit, cum LXI ætatis annum ageret; is vitam placidam, & ad benè de cunctis merendum institutam, in Poëtica nostra exercuit, in qua excelluit, ut secundum Ronsardum, Bellaium, & Bellaquεum principatum in ea obtinuerit; Neque minùs propterea rebus maximis gerendis par; nam dum Annas Ioüsa, Henrico III Rege, quasi rerum in Aula potiebatur, ipse in Ioüsæ ingenio regnavit, & eo sublato, ad pristinam studiorum consuetudinem rediit: in illo otio Gallicam Psalmorum paraphrasim omni laude dignam meditatus.

Nec multò post *Reginaldus Belnensis* Senonum Archiepiscopus, quem adolescens & vir senem & grandævum assiduè colui, optimè meritam de Rege & nomine Gallico animam Deo à quo acceperat, reddidit, pænè octogenarius. Hic vir constantissime Regias partes calamitosissimis temporibus tutatus est, sicuti illu-

stri

ſtri illius ubique in ſuperioribus mentione vidimus, cum diceret, *religioni, niſi ſalvâ republicâ, conſuli non poſſe, ſalvam autem rempublicam ſervari non poſſe, niſi legitimâ succeſſione ſervatâ*, ob idque cum ſublimiore dignitate eſſet digniſſimus, ab ea ſemper excluſus fuit. Cætera quæ de ingenio ejus, comitate, ac miro temperamento addi poſſent, commodiùs alibi dicentur.

Nunc *Iuſtus Lipſius* venit cõmemorandus de quo pauciora dicenda ſunt, cum ipſe victuris ad omnem poſteritatem ſcriptis ſatis ſe illuſtrem toto orbe præbuerit. Iſcanio III à Bruxellis milliaribus natus honeſtâ & antiquâ familiâ, moribus & eruditione ſeipſum magis nobilitavit, & Lovanii hoc anno ætatis LIX continuis pro re literariâ laboribus finem impoſuit. Totâ vitâ Ioſephum Scaligerum coluerat, ab eo viciſſim redamatus, qui exemplo ſuo alios ad celebrandam ejus memoriam provocavit, ut nullum à ſuis cum quibus vivebat, illuſtrius monumentum

hodie extet, quàm quod illi Scaliger Lugduni Batavorum à se, Hugone Grotio, Dominico Baudio, Daniele Heinsio, aliis structum erexit.

Huic addetur *Helias Putschius* domo Antuerpianus, Augustæ Vindelicorum oriundus antiquâ familiâ, qui postea cum patre & matre Stadæ celebri Saxoniæ urbe haut longè ab Hamburgo consedit, ibique litterarum tyrocinio facto, postea patre elato à vitrico benignè educatus, Lugdunum Batavorum concessit, & auctore Scaligero Grammaticorum Latinorum editionem aggressus est, quam & ad exitum perduxit, sed cum notas ad eam pararet, Stadam reversus, morbo fatali prohibitus est, qui eum vix XXV annum aliquot mensibus supergressum, cum plura ab ejus egregia doctrina expectarentur, intra paucos dies absumpsit.

FINIS.



ELOGIUM
IAC. AUG. THUANI
EX EPISTOLA V. CL.

Is. Casauboni præfixâ Ios. Scaligeri Opusculis quæ est in magno volumine, Epistola CCLXIII.

*** APud illos certe, qui ubivis locorum doctrinâ & virtute pari librâ sunt ornati, illustrissimi nominis tui auctoritatem, Præses sapientissime, ad commendationem hujus libri abundè satis valituram, dubitare non possum, qui sciam, unum hodie inter togatos esse te, quem non magis dignitas hæc amplissima, magnis in rempublicam meritis tibi parta, universis Franciæ populis reddat venerabilem, quàm inusitatæ ingenii dotes, quibus excellis, cunctis totâ Europâ

ropa probis doctisque hominibus admirabilem. Nam quum tuâ olim operâ variè uti, multò antequam nascereris, destinasset magnus ille mundi arbiter, omnia liberali manu in te contulit per quæ aliquis ad veram solidamque gloriam potest pervenire. Nihil hic dicam de antiqua generis nobilitate, de Majorum imaginibus, & cæteris; quæ vulgo dona fortunæ vocitantur; patrem quoque tuum silebo, virum maximum, qui ordini amplissimo totos viginti annos quum principem locum obtinens præsideret, omnium sibi virtutum invicem consectarum & cohærentium inesse comitatum, & privatim & publicè dictis, factis liquidò comprobavit. Hæc enim etsi ad honorem tuum pertinent, magnoque tibi sunt ornamento, longè tamen illud magis quòd in primâ statim adolescentiâ eum te præbuisti, quem nullo negotio omnes intelligerent majorum suorum claritudini gloriæ esse præoptare, quàm meritis ipsorum splendorem suum debere: adeo ut nemo

nemo jam tum fuerit, qui id agere te dubitaret, ut quod lumen tibi parens præferebat, posteris ipse olim præferres, igitur in studia liberalium artium & Iuris Civilis Roman. non secus illâ ætate incubuisti, (rarâ quâdam felicitate nactus Valentię Segalaunorum tempore eodem præceptorem quidem I. Cujacium, condiscipulum verò, sed ætate grandiorem, I. Scaligerum) ac si ille solus ad gloriam aditus tibi pateret, aut in illo solo præsidio spes omnes tuæ niterentur. Studio legitimo defunctus & peregrinationibus quas ad multas Europæ partes suscepisti, publicę rei administrationem auspicatus, per varios deinceps honorum gradus, ad hanc illustrem dignitatem conscendens, in diversis muneribus, functionibus & legationibus probatus, mentis altæ consilium, moderationem animi, fidei ac morum constantiam, *adversis rerum immersabilis undis*, ita perpetuo usurpasti, ut multum seculi tui hominibus datu-

rus fueris etiamsi nihil præter exemplum dedisses; in tanta enim rerum varietate, quantam illis difficillimis temporibus experiri contigit, cum quidem plerique hominum de fortuna pendentes, alternis Vatinii, alternis Catones erant, æqualitatem vitæ per omnia constantem sibi servasse, neque ullo unquam casu graviore concussum ab insita probitate descivisse, aut perfecti sapientis, aut (ut Stoicis pacatis utamur) ejus erat qui perfectam sapientiam proximè accederet. Hoc illud est tempus quo Henrici M. castra sequens, inter tumultus castrenses rerum toto orbe memoriâ tuâ gestarum, præsidiis ad tantum inceptum multò antè magno studio provisis, historiam ὀικεογραφικὴν scribere instituisti: qua in scriptione quantâ diligentiâ & fide, (nam sermonis elegantiam omitto) sis usus, omnes qui legerunt scire possunt: nos hoc amplius scimus, quantas inter curas, quàm brevi tempore, horis tuis subcisivis bene

utendo,

utendo; propositam initio materiam ad scribendum peregeris: nam qui neque muneri tuo laboriosissimo, neque regis obsequio ullâ unquam in parte defueris, annis tamen XII, & mens. VI, libros CXXVIII rerum memorabilium admirandâ varietate refertos confecisti; opus in eo genere litterarum maximum omnium quæ unquam post T. Livii Annales sunt edita. Quemadmodum autem olim ad rempublicam ita animatus accessisti, ut universorum consiliorum & πολιτευμάτων tuorum suprema lex esset salus regni, non autem factionis alicujus studia; ita cum res gestas es orsus litteris mandare, non utique id spectasti, ut ea diceres quæ his aut illis grata essent futura, sed quæ Historiæ Regina Veritas pateretur; cujus generosissimi propositi hoc præmium tulisti, ut tunc demum historiæ legitimę majestas nostris hominibus cœpta sit intelligi, quando per Europam libri tui circumferri sunt cœpti: hinc illi plausus

& acclamationes bonorum, tibi pariter ac ſeculo gratulantium, ex Italia, Hiſpania, Germania, Polonia, & ultima etiam Livonia, in hanc urbem ad te & amicos tuos tranſmiſſæ. Enimvero, tam perditis moribus & adeo inimicis virtuti temporibus eſſe aliquem animi invicti virum, qui non gratiâ, non metu à veritate in Hiſtoria ſcribenda deflectat, è re publicâ humani generis eſt. „ Quid „ dicam de illo immenſo tuo in litteras „ amore? quem quidem eximie de- „ claraſti, cum in contexendis Annali- „ bus tuis, eorum interire memoriam „ non es paſſus, qui ad illarum illuſtra- „ tionem in hac ipſarum παλιγγενεσίᾳ vel „ mediocrem ſaltem aliquam ſymbo- „ lam contuliſſent. Non erat alienum huic loco de tuis erga me beneficiis commemorare: quæ etſi fateor extitiſſe quàm plurima, illa tamen præcipua ex omnibus, ut mei ſunt mores, mihi videntur exiſtimanda, quæ cum rationibus meorum ſtudiorum ſunt conjuncta;

juncta ; illa igitur quantum tibi debeant, ſi dicere aggrediar, longum faciam. Nunquam ego te conveni, ut non ea ex te audirem per quæ melior & doctior poſſem diſcedere ; nunquam à tuo congreſſu temerè diſceſſi, quin ad amorem patriæ, ſtudium pietatis, honeſti atque litterarum, novâ quaſi flammâ ſuccenſum me ſentirem. Nunquam ſermonum tuorum factus ſum particeps, cum tu de officiis vitæ, de ſalute aut interitu rerumpublicarum, de ſtudiis, de omnibus omnium ætatum ſcriptoribus diſſereres, quin ſubiret illicò animum ſpecies admiranda & raró admodum per ſeculorum intervalla mortalium oculis conſpecta Idea illius Politici omnibus numeris abſoluti, quem maximus Philoſophorum in ſcriptis ſuis informans περὶ πᾶν πεπαιδευμένον appellat, & omnium artium, diſciplinarum atque ſtudiorum κρίνειν ſtatuit & judicem. Quod ſi mediocri diligentiâ id ſum conſecutus, ut vigiliarum

mearum aliquis ad Studioſos fructus perveniat, eoque nomine gratiæ mihi nonnihil debetur; tibi profectò ejus gratiæ, quantulacunque ea eſt, pars debetur multò maxima: qui & re & conſilio ſtudia mea ſubinde adjuvans, aſſiduus ἐργοδιώκτης inſtas, & quod olim Ambroſius Origeni, id ipſe es mihi. Verùm de tuis in nos meritis, erit, ſpero, alio tempore plura dicendi locus: quando ut aliquod grati animi pignus tibi exhibeamus, de domo numerationem faciemus; nam nunc quidem mutuum ſumimus, & alienâ arcâ utimur. Deum veneror, Præſes ampliſſime, ut te bono publico & litterarum natum, cum nobiliſſimâ conjuge ſingularis exempli fœminâ, etiam ſi olim fuiſſet, ac ſuaviſſimis pignoribus veſtris, omni bonorum genere cumulatum quàm diutiſſimè præſtet incolumem. Faxint Superi, ut hæc præcellens gloria virtute & ſtudiis litterarum collecta, παισὶ παίδων μεταλαμπαδευομένη

THUANÆ genti fiat propria, & in natis natorum perpetuò hæreat. Vale.
Dat Lut. Par. cIↃ IↃCX.





Imprimatur Thomas Wykes.
Octob. 12. 1639.





Index Nominum Chronologicus & Alphabeticus.

Io.

Io.

FINIS